BREVIS DISQUISITIO, DE PRÆCIPUIS QUIBUSDAM PHILOSOPHIÆ...

Willem Sluiter, Ruggero Bonghi

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
12
2 C
9M

C. 3
S. A
O. 8
N. 51.

14
1.
B.
10.

Digitized by Google

Q 110

Digitized by Google

IDEA
THEOLOGIÆ
STOICÆ.

Seu Brevis Diſquiſitio,

De præcipuis quibuſdam Philoſophiæ Stoïcæ placitis, quæ agunt de Deo, Ejuſque operibus, ſeu Diis, & rebus divinis: Hominis officiis erga Deum, & proximum, ejuſque ſummo bono.

Ubi oſtenditur, Stoïcos ex ratione & philoſophia naturali, nec verum Deum cognoviſſe, nec veram coluiſſe virtutem. Annexa eſt commendatio Theologiæ Chriſtianæ præ Gentili.

ADORNANTE
WILHELMO SLUITERO
V. D. M.
Apud Rouveenenſes.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

LUGDUNI BATAVORUM.
Apud JOH. ARN. LANGERAK.

MDCCXXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSULTISSIMO ET SPECTATISSIMO VIRO;

D. MATTHIÆ SLUITER:

ARENAGENSIS CIVITATIS VIRO CONSULARI: REDITUUM EX LOO & DIEREN, DOMINIIS REGIIS, QUÆSTORI FIDELISSIMO: &c. &c. PATRUO MAJORI, SUMMA OBSERVANTIA MERITO COLENDO:

ET

IN ORBE LITERATO CELEBERRIMO, ADMODUMQUE REVERENDO VIRO;

D. SAMUELI PITISCO:

PERILLUSTRI GYMNASIARCHÆ ULTRAJECTINO; PROPTER ÆTATEM PROVECTAM OFFICIAQUE PRÆSTITA SINGULARIA, EMERITO: AVUNCULO MAJORI ADMODUM VENERANDO:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Dicat, qua decet reverentia, hunc libellum

WILH. SLUITER.

Digitized by Google

VENERANDI PATRES.

MEam, quæ Vobis deeſſe nunquam debet nec poteſt, niſi admodum inverecundus eſſe vellem, obſervantiam præſtiturus adſum. Quod locorum intervallo dum longius abſum a Facie Veſtra, coram licet rarius facere id mihi hac vice liceat publice, qua decet veneratione Vobis offerenti huncce libellum, ſtudii mei per otium concelebrati qualecunque ſpecimen; animi, adverſus multifaria a Vobis accepta beneficia minime ingrati teſtimonium.

Veſtræ equidem in me be-

ne-

Digitized by Google

neficentiæ ſi addam ætatem ingraveſcentem, quæ rei etiam publicæ proceſſit, hinc eo magis venerabilem, &, quo Veſter ſum prorſus, conſanguinitatis beneficium, priores vos eſſe intelligo facile, ſummum queis deferam honorem; Quorumque magna & ampliſſima Nomina, tenui licet huic libello præfigam, quod per humanitatem Veſtram liceat, meo ut officio ne deſim. Perexiguum hoc quidem eſt quod Vobis offertur munus, quia tamen non amplitudine donorum, ſed donantis animo munera ſoletis metiri, nihilominus gratum futurum confido.

Digitized by Google

Quam autem ego materiam tractavi, & quo modo, diſplicere Vobis illa non poteſt. Rei facie reddita, detracta perſona, oſtendere tentavi, ſpeciem quidem pietatis præ ſe ferre & virtutis Stoïcorum Theologiam, re ipſa vero piam virtutem neutiquam docere: Quæ autem veram doceat virtutem, indicetque media viamque tranquille vivendi, & beate moriendi iſti hanc longe eſſe præferendam. Atque hæc veræ Chriſtianæ Theologiæ præſtantia eſt, ut hominem doceat non modo ſecum colloqui, uti maximum philoſophiæ bonum priſcorum Sapien-

Digitized by Google

pientium nonnemo judicabat; τὸ δύνασθαι ἑαυτῷ ὁμιλεῖν; ſed & cum Deo loqui poſſe, Ipſius frui benignitate & favore; veram nanciſci εὐθυμίαν, vitamque tandem aſſequi æternam ac beatam.

Quam velim hinc ego, Deſideratiſſime Patrue, & Optime Avuncule, ut vobis quod gentibus negatum fuit, largiatur benignus Ille Pater luminum, quo fortiter per virtutis viam incedentes, ſalutari Dei veſtri cognitione exſultetis! Sit imo vobis vita Chriſtus, & mors lucrum. Emenſi jam eſtis maximum curriculi ſpatium; quod paucis contingit, pluribus com-

munem & viribus valentibus, 70 quin imo 80 annorum ultra terminum progreſſi eſtis; quod reliquum eſt vobis, votis ſupplicibus rogabo Patrem ſpirituum, ut proſpere agatis & tranquille. Vos modo libellum huncce meum benignis manibus veſtris commendatum, æquis oculis ſuſcipiatis, & me amori veſtro, diligere pergatis, etiam atque etiam peto: quo denique ego debitæ Vobis reverentiæ obliviſcar, aut beneficiorum fiam immemor, tempus profecto non dabitur.

Dabam ego totus Veſter, e Muſeo: 4. Kal. Feb: MDCCXXVI.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

BEneficium artis medicæ, cujus eſt humani corporis vitiis & morbis mederi, benignitati Divinæ acceptum referre non dubitarunt veteres; Apollinem enim hujus inventorem, Medicorum magiſtrum celebrant & Præſidem: Callim. Hymn. in Ap.

. . . ἐκ. δέ νυ Φοίβȣ

Ἰητροὶ δεδάασιν ἀνάβλησιν θανάτοιο.

At ſicut præſtantioris naturæ animam habuerunt humanam, quam corpus, vulgo Philoſophi, quod ne quidem ad hominem ipſum pertinere quibuſdam fuit viſum; ita majoris eſſe habendam decreverunt artem illam, quæ animæ morbis poſſet mederi & ægritudinibus, de quibus multa loquuti ſunt. Hanc autem dixerunt eſſe Philoſophiam,

quam & ipſam ſic ſatis cœleſtis, ſeu divinæ originis prædicarunt; quam Socrates e cœlo devocaſſe dicitur, & in urbibus collocaſſe. Cic. Tuſc. Quæſt. Lib. v. *Socrates autem primus philoſophiam devocavit e cœlo, & in urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit, & coëgit de vita & moribus, rebuſque bonis & malis quærere.* Qualis ſi ſit philoſophia, nil mirum, ſi aptiſſimum animæ morbis remedium ſuppeditare credatur. Unde Seneca illum ait, qui ad Philoſophiæ ſcholas accedat, quotidie ſecum aliquid boni ferre, aut ſaniorem domum redire, aut ſanabiliorem; namque uti eſt apud Cicer. Tuſc. Quæſt. Lib. III. *Ægris corporibus ſimillima eſt animi ægritudo:* & mox: *Nam ut Medici cauſa morbi inventa, curationem eſſe inventam putant: ſic nos cauſa ægritudinis reperta, medendi facultatem reperiemus.* Summis hinc laudibus extollere eandem

Phi-

Digitized by Google

Philoſophiam ſolitos fuiſſe, quibus tantam humano generi ſalutem afferre credebatur, mirum neutiquam eſt. *Sed & hujus culpæ, cæterorumque vitiorum & peccatorum noſtrorum omnis a philoſophia petenda correctio eſt.* Cic. Tuſc. Q. Lib. v. Hinc admirationis plena exclamatio illa: *O vitæ philoſophia dux, o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum: quid non modo nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet?*

Optimum ergo morbos animi curandi, vitamque reddendi felicem ac beatam, medium habita philoſophia fuit. Nos medicæ arti, ſanitati corporis proſpicienti, laudem debitam non invidemus: animam curantem non vituperamus philoſophiam: Sed illam priſcorum ſapientum ſolertiam, nec morbi animæ originem, nec gravitatem perſpexiſſe; multo etiam minus veram artem medendi cognoviſſe, merito pro-

pronuntiaverimus: ſic ut quod Naſo de Medicina, nos de philoſophia gentili:

Eripit interdum modo dat medicina ſalutem:
Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem.

Sed ſcilicet ſanitatem deſperat ipſe Seneca, qui philoſophiæ medicinam adeo extollit: *Non perveni ad ſanitatem, nec perveniam quidem: delinimenta magis quam remedia podagræ meæ compono.* Sic ille, de vit. beat. c. XVII. Inſanabile vulnus erat philoſophiæ, humanæ mentis corruptio & perverſitas; non illos tantum non reſtituit ſanitati, qui nihil præter philoſophiam naturalem didicerant, ſed & iis, qui meliori medicamine revelationis Divinæ, vere cœleſtis philoſophiæ, ſanari potuiſſent, hanc revocantibus, multum attulit detrimenti. Et ſibi nocuerunt & Eccleſiæ Dei, qui ex philoſophia ſapere geſtiebant gen-

gentili. Notum eſt Tertulliani illud dictum, ubi contra Hermogenem diſſerebat, qui, uti ad unum fere omnes, ſi non prorſus omnes, veteres philoſophi, materiæ æternitatem aſſerebat: ſolum eam noviſſe Hermogenem, & Hæreticorum patriarchas philoſophos. Non acſi non hic illic apta quædam & decentia dixiſſent & docuiſſent philoſophi; habent enim omnino nonnulla, in ſpeciem, pie, ſancte, graviter dicta, maxime ubi de moribus agitur; ſed quod omnia iſta ex perverſo principio oriantur nec in finem decentem tendant; adeoque ſpecioſa potius quam ſana, dum alia multa falſa habent & turpia penitus. De prioribus pronuntiet Chryſoſtomus, ſimili enim aptiſſimo utitur. Is hom. I. in Joh. I. ex verſione Latina: *Quemadmodum ſepulcra, extrinſecus ornata, ſi exteriorem illam faciem amoveris, cadaverum ſanie & exeſorum oſſium ple-*

plena reperiuntur: itidem in philoſophorum opinionibus, detecta verborum ſuperficie & ornatu, multa inania abſurdaque deprehenderis, maxime ubi de anima philoſophantur. Latiſſimum quidem ad dicendum campum præbent ſcholæ philoſophorum: multa dixerunt & ſcripſerunt antiqui philoſophi, ſuiſque ſequacibus multa dicendi & ſcribendi occaſionem dederunt. Præter enim philoſophorum vulgus, quanta ſunt nomina Socratis? ex Oraculo omnium hominum ſapientiſſimi; a quo Socratici magno numero denominati ſunt: Platonis? philoſophorum Dei interdum dicti: cujus & ſermone Jovem, ſi loqueretur, uſurum dixerunt: Ariſtotelis? naturæ accuratiſſimi ſcrutatoris, a quo pleraque accepiſſe qui ipſum ſequuti ſunt, agnoverunt copioſiſſimi, pariter & diſertiſſimi, *aureum orationis flumen fundere* nonnunquam dicti; qui relicta Academia, a peri-

pato,

Digitized by Google

pato, Peripateticis nomen indidit: Epicuri etiam? ſi hunc addere licet: Zenonis & Cleanthis? aliorumque. Unde trium vel quatuor ſectarum præcipuarum diſtinctio, prout Academicos & Peripateticos eoſdem habere, vel diverſos placuerit. Horum videlicet, Epicureorum, & Stoïcorum; quarum hæc quidem a loco, illa ab Autore nomen ducit. Zeno enim, cujus Diſcipuli jam Zenonii dicebantur, ad porticum ſeu ſtoam ſe contulit, quæ ποικίλη a vario picturæ genere dicebatur, atque hunc locum ſtabilem reddere voluit; & hinc nomen Stoïcorum. Laërt. Lib. VII. ex verſione latina: „ Vertens igitur ſe ad
„ porticum variam, (Zeno) quæ
„ & πεισιανάκτειος appellabatur, &
„ ex varia, & multæ ſcientiæ pi-
„ ctura Polygnoti, (cujus meminit
„ Ælian. var. hiſt. Lib. IV. c. 3.)
„ ποικίλη, orationem formabat, vo-
„ lens & locum illum ſtabilem fa-

„ ce-

„ cere, nulliſque ſeditionibus ultra
„ violabilem . . . Eo igitur ad il-
„ lum audiendum diſcipuli jam con-
„ fluebant, atque ideo Stoïci vo-
„ cati ſunt, etiam qui ab ipſo an-
„ tea Zenonii appellabantur. Unde idem Zeno, inventor & princeps Stoïcorum dicitur. Cic. Acad. Quæſt. Lib. IV. Exceperunt hunc Cleanthes & Chryſippus &c.

Sic ubi variæ ſectæ, variæ opiniones. Quid hinc? Quod apud Cic. Acad. Quæſt. Lib. IV. *Ita cogimur diſſenſione ſapientum dominum noſtrum ignorare.*

Omnia cognoſcere, & de omnibus diſputare, res ardua eſt, & altioris indaginis: ſit cura hæc commiſſa, quibus licet, & quibus placet. Scopus non erat hic noſter nec tanto oneri vires aut humeri ſufficerent. Aliud agebamus, nempe ut, per quod otium ſuppetebat, perſcrutaremur breviter (recreandi namque animi gratia) præcipua quæ-

dam

dam ſcholæ philſophicæ placita, quæ ad Theologiam, hominiſque decentem, & quam quærebant, beatam vitam pertinebant: & oſtenderemus, verum Deum, veram pietatem, ſummum bonum, ſapientes illos ignoraſſe; quicquid etiam ſpecioſa quædam dixerint, & loquuti fuerint, vere Atheos, attamen illis ſerioris ævi longe præſtantiores, quos animum adverſus omnem veritatis vim obfirmare juvat, proh dolor! Præ reliquis quidem ſelegimus Stoïcos, quia hujus ſcholæ dogmata ad religionem Chriſtianam proxime videntur accedere, ut de aliis, qui longius abſunt, facilius poſſit judicari. Sic ſaltem licet de ſectarum philoſophicarum alterius præ altera, nemini velimus controverſiam movere, præſtantia, hac vice nobis ſentire liceat, cum non paucis ex noſtris eruditis, & inprimis docto homine, & literatiſſimo, Gatakero; qui, *ad diſciplinam no-*

ſtram Chriſtianam, quod Stoïcorum, & imprimis Epicteti, & M. Antonini ſcriptis & monitis, propius accedat, in exterorum priſcorum, quæ hodie extant monumentis, nihil reperiri, fidenter pronuntiari poſſe exiſtimat.

Diſſentiunt in quibuſdam a Peripateticis. uti Balbus apud Cic. de Nat. D. Lib. I. *Egone, inquit ille, miror, Antiochum, hominem imprimis acutum, non vidiſſe, intereſſe plurimum inter Stoïcos, qui honeſta a commodis, non nomine ſed genere toto disjungerent, & Peripateticos, qui honeſta commiſcerent cum commodis, ut ea inter ſe magnitudine, & quaſi gradibus non genere differrent? Hæc enim eſt non verborum parva, ſed rerum permagna diſſenſio.* Quo jure alias quæri poſſet: at certe ab Epicureis, ſummo, omnia meliora docentes. Nam quid Epicurus? Si de Deo quæras: Otioſos Deos aſſerit, nul-

nulliuſque rei cura tangi, mundum nec diſpoſuiſſe, nec gubernare, caſu & fortuna ſeu atomorum volutatione omnia volvente. Si de homine, ejuſque vita: ſummum dicit eſſe bonum voluptatem, non animæ tantum ſed corporis. Sic ille in Ep. ad Menic. juxta Laërt. Lib. x. *Quocirca voluptatem finem dicimus ac principium beatæ vitæ.* Idem eodem Lib. x. *In libro quoque de finibus ſic loquitur: Nam equidem nihil habeo quod bonum intelligam, ſi ſaporum voluptates, & quæ ex venereis conſtant, & quæ auribus percipiuntur, quæque ex formæ venuſtate blandiuntur oculis, auferam.* Ideoque Balbus Vellejo: Cic. Nat. Deor. Lib. I. *Non arbitror te, Vellei, ſimilem eſſe Epicureorum reliquorum, quos non pudeat earundem Epicuri vocum, quibus ille teſtatur, ſe ne intelligere quidem ullum bonum, quod ſit ſejunctum a delicatis & obſcœnis*

voluptatibus. Miſſa etiam Epicuri, de qua multa Stoïci, arrogantia non ſolum, ſed impudicitia, & luxu, ſatis hæc indicant, nihil fere ſentire Epicurum elegans aut decorum. Cujus tamen famam ſuſcipere & tueri maxime quidem Epicureæ diſciplinæ aſſeclas, quos inter, Eccleſiæ Zwollanæ ille turbo, abhinc non ita pridem, per nos licet. Epicurum quidem ille, unum aliquem ex optimis, & modeſtiſſimis gentium fuiſſe, pro certo affirmandum judicat, & in rem adfert illa Senecæ de vit. beat. c. XIII. *Mea quidem iſta ſententia eſt (invitis hoc noſtris popularibus dicam) ſancta Epicurum, & recta præcipere, & ſi propius acceſſeris, triſtis: (triſtia) voluptas enim illa ad parvum & exile revocatur, & quam nos virtuti legem dicimus, hanc ille dicet voluptati.* Ita eſt, & ipſum Epicurum ſobrium fuiſſe hominem crediidiſſe ſe indicat Sene-

ca.

ca. cap. XII. enim ita inquit: *Nec æſtimatur voluptas illa Epicuri, quam ſobria & ſicca ſit, ſed ad nomen ipſum advolant, quærentes libidinibus ſuis patrocinium aliquod ac velamentum.* Longe hæc diverſa ſunt ab iis, quæ veteres de Epicuro narrarunt, quos inter Timocrates, quotidie Epicurum minam in cibos conſumere ſolitum fuiſſe affirmavit; de quo, & aliis Epicurum multa in ſermone, plura in vita peccaſſe dicentibus, videri poteſt Diog. Laërt. Lib x. Sed quid ſit verum litigatur; nos de dogmate inprimis agimus Epicuri. Sancta illa, & recta, & triſtia, quæ docuiſſe aſſerit Seneca Epicurum, ſi quis ſcire aveat qualia ſint, adeat Præloquium noſtri Gatakeri M. Ant. operi præfixum, qui & ipſe Senecam ſibi non conſtare docebit, modo damnantem Epicurum, tanquam voluptatis magiſtrum, modo laudantem, & crimine impietatis ab-

ſolventem, cum doctrina ſua. Uti de vit. beat. c. XIII. *Itaque non dico quod plerique noſtrorum, ſectam Epicuri flagitiorum magiſtram eſſe; ſed illud dico, male audit, & immerito.* Sed id probatum non eſt. Per ſe quidem illa Epicuri de Deo, & ſummo bono, voluptate, turpia ſunt & indecora, & cum Chriſtiana Theologia componi neutiquam merentur. Sed quæ Stoïci; alius ſunt naturæ, Chriſtianæ fidei capitibus quibuſdam in ſpeciem paria docuerunt, quæ examinanda ſumpſimus. Plutarchum non adeo teſtem citamus, qui paſſim Stoïcos exagitat; nec Zenonem, aut Chryſippum; illum quidem ſectæ conditorem, hunc defenſorem ſtrenuum; licet enim de πολυγραφία uterque celebretur, nullum tamen alterutrius ad nos integrum ſcriptum delatum eſt: ſed Ciceronem, ubi Stoïcorum rem agit, licet in utramque partem diſputet, ipſoſque Stoïcos, Senecam,

Epictetum & M. Antoninum, Philoſophum dictum. Nulli cedere Philoſophorum ſectæ pro conceſſo arripiamus, Stoïcam, dignam adeo, quæ ad examen revocetur, quo conſtare poſſit, quantum inter hanc & fidei Chriſtianæ præcepta interſit, eo magis quod exiſtiment Stoïci, atque illis multi concedant, tantum inter ipſos & reliquos intereſſe philoſophos, quantum inter mares & fæminas. Uti Seneca, *virilem*, ait, *Stoïcos viam ingreſſos*.

Theologiam nos autem Stoïcorum potius quam philoſophiam appellavimus, titulum huic noſtro libello dantes, quia de iis cumprimis agendum nobis erat Stoïcorum placitis, quæ de Divina natura, hominiſque ad illam relatione agunt: ſiquidem & Theologi ſunt habiti & dicti ab ævo Philoſophi. Tripartitam Theologiæ fabuloſæ, Poëtarum; naturalis, Philoſophorum; civilis ſacerdotum & populi diſtin-

ctionem, juxta M. Varronem tradit Auguſtinus, de Civ. Dei Lib. VI. c. c. v. De ea hîc non eſt dicendi locus.

Aliud monere habeo. Diſſentiunt non modo perſæpe Stoïci, ab aliis philoſophorum opinionibus, ſed nec ubique ipſis Stoïcis de quibuſdam convenit. Cic. Acad Quæſt. Lib. IV. *An Stoïcis ipſis inter ſe diſceptare cum his non licebit? Zenoni & reliquis fere Stoïcis, æther videtur ſummus Deus, mente præditus, qua omnia regantur. Cleanthes, qui quaſi majorum eſt Gentium Stoïcus, Zenonis auditor, ſolem dominari & rerum potiri putat* &c. Libertatem judicandi quemque ſervare debere putarunt, veritati eſſe obſequendum non philoſopho: uti Seneca de vit. beat. c. XXX. *Hæc Stoïcis quoque placere oſtendam: non quia legem dixerim mihi, nihil contra dictum Zenonis Chryſippive committere: ſed quia res ipſa patitur*

tur me ire in illorum ſententiam. Recte id quidem, ſed hinc effectum eſt, quia huic vel illi ſectæ nomen dederunt, ut de opinione philoſophorum iſtius ſectæ diſceptetur. De philoſophia Stoïca differentibus id eo magis contingit, quod Stoïcorum dicendi ſeu differendi genus acutum fuit & ſpinoſum, uti & antiquis habebatur. Cic. de Fin. lib. III. *Stoïcorum autem non ignoras quam ſit ſubtile vel ſpinoſum potius differendi genus.* & Lib. v. *Non mehercule inquam, ſoleo temere contra Stoïcos, non quod illis admodum aſſentiar, ſed pudore impedior. Ita multa dicunt, quæ vix intelligam* &c. Placet exemplum, unum vel alterum? Dixerunt aliqui, quos inter Lactantius opinionem hanc eſſe Stoïcorum, quod mundo pro corpore utatur Deus. at negant hoc alii. Ludovicus Vives ad Auguſt. Civ. Dei Lib. IV. c. XI. ita: *Stoïci, cum Platone Deum quidem mentem eſ-*

ſe dicunt, ſed non utentem mundo pro corpore. Fati dein nomine, vulgo aſſeritur intelligere Stoïcos æternam & immutabilem cui & Dii ſubſint volentes nolentes, & homines, & univerſa, neceſſitatem. Alii contra, Fati nomine intelligere Stoïcos ipſam divinam providentiam. Et tamen utrumque viri docti exiſtimant, ſed hoc mirum videtur Merico Caſaubono, qui ad Antonini Lib. III. lin. 8, 9. ſeu §. 4. *Quare vulgi erroribus (quo tamen in errore doctos etiam non paucos verſari miror) hanc de fato Stoïco, quod homines in truncos ſtipiteſque convertat, opinionem accenſendam judico.* De re ipſa nobis quid videatur, videat Lector, ſi placet, ſuo loco. Neque hoc tamen philoſophiæ Stoïcæ ſingulare eſt. De mente aliorum philoſophorum ſæpe diſputatur. Auguſtinus Lib. XXI. cap. XIII. de Civ. Dei, Platonicis hanc fuiſſe opinionem docet; quod omnes

pœ-

Digitized by Google

pœnas emendationi adhiberi putaverint, vel humanis inflictas legibus vel Divinis, *ſive in hac vita, ſive poſt mortem*. At ex Pontificiis Bellarminus, non bene percepiſſe Auguſtinum aſſeverat Platonis mentem, qui quoſdam docuerit prorſus inſanabiles, eoſque tantum purgari, qui vulnera haberent curabilia, non autem omnes. Sed hoc ipſum infelici cum ſucceſſu defendendi ignis ſui purgatorii, ut recte obſervavit Sutlivius, contra diſputationem Bellarmini de purgatorio. Rem tamen & eandem alii ex noſtris volunt, quemadmodum Doct. Lomejerus de Luſt. Vet. Gent. cap. xv. Pluribus haud opus eſt. Non obſtat hoc ergo, quo minus præ reliquis eligeremus pertractandam philoſophiam ſeu Theologiam Stoïcorum. Id tamen rogatum velim lectorem noſtrum, ut ſi quid hic illic, quod ab iis quæ nos de Stoïcis affirmavimus, diſcrepare videatur, offendat, non continuo

re-

Digitized by Google

reprehendat, ſed videat quouſque noſtra valeant; vel ſi reprehendat, meliora doceat, ſed ἀληθεύων ἐν ἀγάπῃ, id enim ſemper licebit. Errare humanum eſt, & noſtrum, ſed veritatem quærimus. De ſcopo porro noſtro, Lector benevole, ſi quid ultra interroges? hic fuit, prout dicere incæpi: ut indicarem veritatis naturalis, interdum, cœleſtis vero vel ſupernaturalis, nunquam, comitem ducemve potius magiſtrum fuiſſe aut futuram eſſe philoſophiam; ut pateat quam perverſam & periculoſam viam inſiſtant, qui præ luce amantes tenebras, fallacibus ſuis ratiociniis tantum indulgent, ſagaci ingenii acumine adeo confidunt, ut, niſi quam hoc doceat, veritatem nullam recipiant. *Quam vellem ut te ad Stoïcos inclinaviſſes!* ait ille apud Cic. de Fin. Lib. III. At ego; quam vellem, ut ad altiorem philoſophiam Chriſtianæ fidei ſe inclinarent propius, qui divinam revelationem conte-

te-

Digitized by Google

temnunt eheu! & quam vellem ut illi, qui nomen Chriſtianum profitentur, reverentius de divina revelatione loquerentur, nec populo perſuaderent, non intendere interdum ſacros ſcriptores, & Spiritum Sanctum, rerum veritatem; quaſi vero Spiritus Dei ſpiritus mundi eſſet, qui ſpiritus eſt mendacii. Non ego Spinozam dico, hominem Atheum; ſed Th. Burnetum, & ſi qui ipſius veſtigia ſequuntur:

Ἑκὰς ἑκὰς ὅςις ἀλιθρός.

Dein ut laudandam pro merito, Divinam in Chriſtianos nos clementiam, & benignitatem, pio homini oſtenderem, quæ è tenebris illis priſci temporis, infelici ignorantiæ involutos nos in lucem eduxit, miranda ſed gentibus olim incognita fidei myſteria revelans, quæ ſapientem poſſunt hominem reddere ad ſalutem. Non hæcce intelligere Stoïcis, veritatis ſedulis ſcrutatoribus, contigit. Et fuerunt hi ex illorum Athenienſium

ſium numero, qui Deum vel Deos colebant ignotos. Tempus tum adhuc erat erigendi altaria Deo, vel Diis ignotis, quale Epimenidis tempore collocabant, ubi ipſos a peſte liberaverat, narrante Laërtio Lib. I. cujuſmodi deprehendens Apoſtolus Paulus, occaſionem fuit nactus, quem huc uſque Deum ignorabant, prædicandi, ut ſapere diſcerent, qui tamdiu ſapientiæ ſe quidem ſtudioſos fuerant profeſſi, ſed illam nondum erant conſecuti. vid. Rom. I. 22. & Act. XVII. Hæc demum philoſophia illa eſt, quæ animæ morbis poteſt mederi. Beatior ergo contigit nobis Chriſtianis ſors, qui lumine cœleſtis revelationis colluſtrati, planam in cœlum viam conſpicimus; Deum, ſalutaris omnis, & beatæ vitæ autorem, cognoſcentes; optimæque religionis rationem, a Deo præſcripta, Ipſique complacentis, a vana impiaque gentili ambulatione revocantis ad veram viam ſalutis, ducentem in cœlum.

Hæc

Hæc qui perpendit, etiamne ignorare poteſt, præſtantiorem eſſe noſtram Chriſtianam Theologiam omni gentili, & ſi addere libet, Turcica non modo, ſed & hodierna Judaïca corruptiſſima? Fabulis & nugis nullibi finis, ſed hujus Theologiæ noſtræ dogmata, decentia ſunt, ſeria, ſancta, ſublimia, & quis dubitat ergo etiam, cognitu neceſſaria? Non eſſe fabulas dogmata noſtra dixit magnus Chryſoſtomus, hom. v. ad Pop. Ant. & multis modis probavit. Neque ille tantum, ſed tot præſtantiſſimi Theologi, qui & ab ineptiis Pontificiorum, aliorumque repurgarunt. Ego voti compos ſum, ſi brevis hæc noſtra diſquiſitio Lectori meo perſuadeat, quouſque ſcopus noſter erat, præſtare Stoïcorum illi, Theologiam Chriſtianam.

Tu denique, benigne Lector, huncce meum libellum, piis manibus, æquiſque oculis ſuſcipito; ubi nihil majoris rei agis, perlegito; ſique quid

Digitized by Google

quid minus accuratum, aut vitioſe impreſſum deprehenderis, mihi & typographo ignoſcito; omnium vero gloriam dato Domino noſtro, cujus & nos ſumus & omnia noſtra. Hunc ego medio tempore enixim rogabo & voto ſupplici, ur tibi copiam largiatur vivendi, pie, ſancte, feliciter, diuque: Gentibus tenebris adhucdum immenſis, tandem evigilanti, gratiam. Ut tandem Chriſtiana Theologia per orbem univerſum prædicetur, quoad unus fiat Jehova & unum nomen Ejus. Vale.

INDEX CAPITUM.

Cap. I. De *Exiſtentia & Natura Deorum.* Pag. 1.
—— II. *De Providentia Deorum.* 25
—— III. *De Divinatione.* 59
—— IV. *De officio hominis erga Deum, deque præſenti ſeculo & futuro.* 73
—— V. *De officio hominis erga proximum.* 96
—— VI. *De ſummo bono & tranquillitate animi.* 109
—— VII. *De præſtantia Theologiæ Chriſtianæ præ gentili.* 125

IDEA

IDEA THEOLOGIÆ STOICÆ.

CAPUT I.

De EXISTENTIA & NATURA DEORUM.

§. I. IMpreſſam eſſe altius in animos hominum judicarunt veteres opinionem, de Summi Numinis exiſtentia, quam ut facili negotio hanc ipſis poſſes excutere. Perpaucos hinc inter eos invenire eſt, qui vel nullos omnino eſſe Deos ſe dixerunt credere, vel & addubitare de ipſorum exiſtentia. Attamen fuerunt. non, acſi diſſentiendi ab omnibus ſingularis quædam ſapientia aut perſpicacioris ingenii acumen, cauſa illis fuiſſet: ſed, quod vel facillime licere agere putarent, quo delectantur impii, legibus ſoluti ſupremi

Digitized by Google

ſui domini, quem venerari reliqui omnes neceſſum haberent, tanquam *ætheræ illum dominatorem aulæ*: vel quod ex conficta illa & fabuloſa Theogonia, vulgo recepta, anſam arripuerint, omnem prorſus denegandi numinis exiſtentiam. Sic:

Dum vitant ſtulti vitia in contraria currunt.

§. II. Primi, vel & ſoli Atheorum loco habiti, qui nullos omnino eſſe Deos ſe credere profeſſi ſunt, memorantur antiquis, Diagoras Melius, & Theodorus Cyrenaicus. De illo apud Cic. „At Diagoras cum Samothraciam veniſſet, Atheos ille qui dicitur, atque ei quidam „amicus: Tu, qui deos putas humana „negligere, nonne animadvertis ex tot „tabulis pictis, quam multi votis vim „tempeſtatis effugerint, in portumque „ſalvi pervenerint: Ita fit, inquit. Illi „enim nuſquam picti ſunt, qui naufragium fecerunt, in marique perierunt.„ Lib. III. de Nat. D. De hoc autem Diog. Laërt. de vit. Phil. Lib. II. ex verſione Latina. „Porro Theodorus ipſe omnes „de Diis opiniones ſuſtulit. . . Furto „quoque, & adulterio, docuit & ſacrilegio, cum tempeſtivum erit, daturum operam ſapientem. . . Parum „au-

„ autem abſuit quin periclitaretur, ne „ traheretur in Areopagum, niſi eum „ Demetrius Phalereus eruiſſet.„

§. III. Non negare ſe quidem dixit exiſtentiam Deorum, ſed de ea dubitare, Protagoras: eodem teſte Laërtio „ Lib. IX. „ De Diis quidem (ait) ſtatuere nequeo neque an ſint, nec ne: ſed & hunc non impune dimiſerunt Athenienſes. Idem: „ Ob hoc autem principium operis pulſus ab Athenienſibus eſt, librique ipſius in foro cremati ſunt. „ Hæc narrant Gentiles de iſtis Atheis, at Athëos a gentilibus vocatos exiſtimant Viri Eruditi cum Doct. Voſſio, quod Deos gentium pro Diis non habuerint; quem vid. Lib. I. de Orig. & progreſſu Idol. Quod & ipſum longe ante illum alioſque indicaſſe Clementem Alexandrinum monet Cl. Hoornbeek Soc. Conf. Lib. I. c. VII. Metuebant nimirum, alii Socratis imitari exemplum, quia pro Atheis habebantur & plectebantur: quemadmodum in Protrept. Alexandrinus Clemens: *Xenophon autem Athenienſis ipſe quoque aperte ſcribit, de veritate teſtimonium dicturus ut Socrates, niſi ipſe timuiſſet pharmacum: ſed nihilo ſecius tacite ſignificat* &c. Atque

ita fieri potuit, ut Atheos hoſce dixerint, qui confitebantur quod alii non audebant, licet non omnem penitus Numinis exiſtentiam negarint. Sed de eo nos non agimus.

§. IV. Ordine ſuccedit, rei non temporis, qui neque exiſtere Deos negavit expreſſe; neque dubitare ſe dixit; ſed ejuſcemodi quædam finxit de natura Deorum quæ verbis ipſum luſiſſe, re autem vera non credidiſſe ullam Deorum exiſtentiam, non obſcure indicare viſa ſunt antiquis; Democritum puto, illum, cujus auditor fuit dictus modo Protagoras. *Mihi quidem etiam*, ſic Cic. Nat. Deor. Lib. 1. *Democritus, vir magnus imprimis, cujus fontibus Epicurus hortulos ſuos irrigavit*, (licet magiſtrum ſe habuiſſe neminem ille gloriaretur) *nutare videtur in natura Deorum.* Quo modo? *Tum enim cenſet imagines divinitate præditas ineſſe in univerſitate rerum: tum principia, menteſque quæ ſunt in eodem univerſo, Deos eſſe dicit: tum animantes imagines, quæ vel prodeſſe nobis ſolent, vel nocere: tum ingentes quaſdam imagines, tantaſque, ut univerſum mundum complectantur extrinſecus.*

§. V. Eadem propemodum inſiſtentem

Digitized by Google

tem veſtigia ſubjungere licebit Epicurum. Non negat ille quidem expreſſe Deorum exiſtentiam, at nec de ea dubitaſſe vult videri, ſed quæ de Deorum fabulatur natura & tranquilla vita, adeo ſunt ſupra modum majeſtate divina alienata, ut quæ verbis dixit, animo negaſſe videatur. Deos quidem aſſerebat æternos & beatos, uti in Ep. ad Menic. ex Laërt. Lib. x. „ De Deo opinari de„ cet, omne quod illius cum immorta„ litate beatitudinem ſervare poſſit.„ Naturam namque divinam, quam agnoſcere debebat omnium optimam, requirere æternitatem & beatitatem, dicendum ſibi facile intelligebat, ſi aliquam dari concederet. at ſubſtantiam eſſe Deum æternam, incorpoream, rerum omnium dominam neutiquam docuit. Præter enim corpus & inane, quæque his accidunt, in toto univerſo agnoſcebat omnino nihil. Hinc in ep. ad Herod. ex Laërt. Lib. III. „ Incorporeum „ autem per ſe intelligere non poſſu„ mus, præter vacuum, itaque qui in„ corpoream dicunt eſſe animam deſi„ piunt. Deos ergo etiam dixit eſſe corporeos, & membra humana habere, & ſanguinem: ſed non eſſe tamen hæc,

qualia deprehendantur in homine; corruptionem enim & diſſolutionem, hancce conſtitutionem, brevi inſequuturam, abrupturamque, quam prædicabat Deorum æternitatem, objici poſſe, facile potuit colligere; licet & futilis ipſius diſtinctio errorem parum corrigat, dum corpus quidem habere Deum dicit, ſed *quaſi corpus*: ſanguinem ſed *quaſi ſanguinem*. Quæ qualia ſint nec intellexiſſe nec docuiſſe arbitror Epicurum. Qualiter, ubi *Deos induxit perlucidos & perflabiles*, *& habitantes*, *tanquam inter duos lucos*, *ſic inter duos mundos*, *propter metum ruinarum*. Quibus ſi quis addiderit, quid Epicurus de concurſu aut volutatione atomorum, de caſu & fortuna, Deorumque, procul omni cura rerumque moderamine, tranquilla quiete, mirum huic non debebit videri amplius, ſi Deos *μονογράμμȣς* exhibuiſſe credatur Epicurus, ſublata revera omni vere, ſic dicenda æternitate & beatitudine. Atomos incerto caſu fortuitoque huc illuc ferri, agitari, impelli nugatur Epicurus, nullo moderante, nec Deo, nec homine, nec vi quadam alia rationali. Non poteſt ergo naturæ Divinæ vindicari æternitas, niſi quæ ſit caſu perennis,

nis, ſed & ſingulis momentis, propter injuriam atomorum, caſu in Deos non minus quam in alia quævis irruentium, ſiquidem Dii etiam corporei ſint, deſtrui & abrumpi poteſt, prohibente nemine, cum regendæ naturæ nec Diis ulla vis aut cura ſit, nec imperium alteri commiſſum, ſed incerto fluant omnia caſu. Non eſt hæc ergo in ævum duratura æternitas Diis Epicuri tribuenda. Sed & de qua loquitur Epicurus, Deorum beatitas, nulla prorſus dicenda eſt. Beatitatem vocat, ſed quod beatum afficit, denegat. Beatus ſi ſit, qui nullius rei indigus, perfecta fruitur quiete, nunquam turbanda: beatiſſimus, qui omnium dominus, omnia ad nutum ſuum diſponens, ſupremum at Sanctum in omnia exercens imperium, naturæ ſuæ perfectiſſimæ & ſanctiſſimæ vi, in ſecula mutationis omnis expers, idem permanens, qualis profecto Deum decet beatitas, non eſt certe beatiſſimus, nec quidem beatus Epicuri Deus, nullius rei ne quidem vitæ ſuæ dominus, nullam cujuſcunque rei curam gerens, nullum ordinans, nullum diſponens aut dirigens mundum, nullas movens aut removens æternitati ſuæ inimicas atomos; nulla

Digitized by Google

adeo majeſtate conſpicuus, nulli vere venerandus, vere deſes & iners, medium quaſi locum occupans inter corpus & inane. At ſi vero ſumma beatitas dici viſa ſit debere Epicuro, voluptas corporis, etiam Deorum, cum & ſint corporei, ne tum quidem beatus dici poteſt Epicuri Deus, nulla enim iſte fruitur voluptate corporis. Multo etiam minus beatus erit dicendus, ſi beatitas conſiſtat in cogitatione de voluptate, ſiquidem ipſa voluptas cogitatione iſta de voluptate præſtantior foret habenda. Numquid ergo beatus dici poſſet, qui, quod ipſi verum bonum eſt, quo poſſit eſſe beatus, deſtituitur?

§. VI. Sed mittamus ineptias; ſeveriores ad noſtros nos convertamus Stoicos. Placet hiſce omnino, quod verbotenus Epicurus, affirmandam eſſe de Diis æternitatem & beatitatem; hiſce enim naturam omnium optimam, divinam puto, non poſſe carere lubenter concedunt; ſed inertem parumque decoram quam finxit Epicurus Deorum quietem, aut tranquillitatem indignantur, & merito. Non eſſe enim quod metuat Epicurus, turbandam Deorum tranquillitatem ob rerum curam vel regi-

gimen. Sed iſti, quemadmodum ille Cic. Acad. Q. Lib. IV. qui de Stratone Lampſaceno: *Ipſe autem ſingulas mundi partes perſequens, quicquid aut ſit, aut fiat, naturalibus fieri aut factum eſſe docet ponderibus & motibus: ſic ille & Deum opere magno liberat, & me timore.* Hoc ſcilicet illud eſt quod angit Epicureos: jugum divinæ legis excutere ſuadet voluptas. Pergit idem: *Quis enim poteſt (cum exiſtimet curari ſe a Deo) non & dies & noctes divinum numen horrere: & ſi quid adverſi acciderit, (quod cui non accidit?) extimeſcere ne id jure evenerit?* Miſſis etiam ambagibus, quid quærant Epicurei planum facit Vellejus apud Cic. Nat. D. I. *Itaque impoſuiſtis in cervicibus noſtris ſempiternum dominum. Quis enim non timeat, omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad ſe pertinere putantem, curioſum, & plenum negotii Deum?* Ecquid ultra? Non erat hinc Stoicis difficile odorari Epicurum, certe Epicureos, beatitatem licet quandam, ſed dicis cauſa, vel æternitatem Deorum memorantes. Hinc Balbus apud eundem Ciceronem Nat. D. I. *Video nonnullis videri, Epicurum, ne in offenſionem Athenienſium caderet, verbis*

reliquiſſe Deos, re ſuſtuliſſe. Et propius a fine: *Verius eſt igitur illud, quod familiaris omnium noſtrum Poſidonius diſſeruit. . . nullos eſſe Deos Epicuro videri, quæque is de Diis immortalibus dixerit, invidiæ deteſtandæ gratia dixiſſe.*

§. VII. Aliam vero longe viam inſiſtunt Stoici: honeſtius loquuntur & aptius de Deorum æternitate & beatitate: Æternitatem Divinæ naturæ competere aſſerunt, non quæ caſu talis ſit aut fortuna, quæque facile poſſit abrumpi, ſed propriæ naturæ Divinæ, tanquam excellentiſſimæ præſtantia, nulli caſui, nulli fortunæ, nulli atomorum periculoſæ volutationi expoſita, Epicuro aſſertam veram eſſe Deo convenientem æternitatem negant. Removent etiam a natura Dei, parum decoram illam confictam ab Epicuro, Deorum beatitatem, quæ conſiſtat in otioſa, & inerti quadam tranquillitate, ubi nulla majeſtas aut imperium numen condecorat, nihil nec ſui curans nec alieni. E contrario, virtutem conſtituere docent beatitatem, adeoque Deos, tanquam beatiſſimos, ſumme ſapientes, juſtos, ſanctos, nullo laborantes vitio vel defectu, rei nullius indigos, contra boni omnis diſpen-

diſpenſatores, ſibi ſufficientes rebus conſulere humanis. Verbo, Deos ajunt rerum omnium dominos, cuncta moderari & gubernare, in univerſi commodum; pro lubitu quidem omnia agere, attamen ſancte ſemper & optime, quia Dii ſint, quos ita decet.

§. VIII. Benignius hîc vero de Stoicis nos pronunciare, quam par erat, fortean regeſſurum aliquem prævideo, eo quod & Stoici ipſi ejuſcemodi quædam de Diis narrent, quæ figmentis Epicuri poſſent æquiparari. Plures, ſcilicet, ſtatuunt cum reliquis non tantum Deos, ſed & ſpiritus humanos quodammodo divinos ajunt; imo vero ſolem, lunam, & aſtra, quin totum mundum dicunt eſſe Deum. Erraſſe Stoicos ultro largimur. Perdifficile foret ex mendacio veritatem producere. Ubi ergo admiſerint Stoici cum reliquis fere omnibus Deorum multitudinem, non admodum admiror, ſi in enarranda natura attributiſque divinis aberrarint longius. Atheiſmo & idololatria neutiquam immunes fuiſſe, non ibimus inficias. Non obſtat hoc tamen, quo minus apta quædam & honeſta de Deo hîc illic dixiſſe & ſenſiſſe dici queant. Ducem rationem ſequi

ad-

adlaborarunt: Deo quæ ipſius eſſe videbantur, tribuere voluerunt: hominem ad decentem, Deo gratam vivendi rationem perducere conati ſunt; fædam omnem non laudant, ſed damnant voluptatem. At hæc quantum valeant, judicemus ex iis, quæ tradere nobis Stoicos de exiſtentia & natura Deorum paucis indicabimus.

§. IX. Exiſtentiæ ſummi numinis aſſentiendi pronitatem quandam humanæ menti inſitam eſſe Stoici docent; quam vel a nativitate ipſi a Diis inditam volunt: vel potius ab unione cum corpore ſuperſtitem reſervaſſe Spiritum. Statuunt nimirum, mentes humanas æternas eſſe, Deorum familiares, vel & a natura divina decerptas, uti inferius dicemus; has autem in corpora miſſas, aliquantulum a Diis disjunctas eſſe & alienatas, attamen vim quandam ad Deos & divina ſe attollendi retinuiſſe. Et hinc mihi exiſtimare videntur, reſiduam humanis mentibus remanſiſſe recordationem Deorum. Epicurus quidem etiam nonnulla, de hujuſcemodi aliqua naturæ propenſione, quæ in Deos feratur; hanc ſaltem Epicurum primum appellaſſe πρόληψιν gloriabantur diſcipuli ipſius: ſed quid

quid de tali προλήψει ex mente Epicuri ſit habendum, intelligi poteſt ex modo dictis de Deorum æternitate & beatitate. At ſi & heic fabulam narrare videantur Stoici, pedem promovere liceat & perveſtigare, quibus porro ratiociniis hanc ſuam de exiſtentia Dei opinionem confirment.

§. X. Viam heic profecto eligunt longe optimam & tutiſſimam, experientiam omnem teſtem advocant; cui ſane qui fidem adhibere recuſat, vanum ſe & ineptum eſſe oſtendit, tantum negantem quia negare in animum induxit. Sed non ille ulteriori refutatione vel convictione dignus, merito cenſebitur. Stoici ergo ſic: Totius mundi ſtructuram, vere mirificum, excellentiſſimum, ſapientiſſimi & potentiſſimi opificis artificium eſſe debere; neque enim aliter poſſe, quin magnum illud miraculum, ſyſtematis cœli, ſolis, lunæ aſtrorumque omnium &c. ſummum aliquem, ac potentiſſimum ſui formatorem exigat, qui præter Deum nullus eſſe poſſit. Chryſippus apud Ciceronem Nat. D. Lib. II. *Si enim eſt aliquid*, inquit, *in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod poteſtas humana efficere non poſſit, eſt certe*

te

te id quod illud efficit homine melius: Atqui res cœleſtes, omneſque hæ, quarum eſt ordo ſempiternus, ab homine confici non poſſunt. Eſt igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius: id autem quid potius dixeris quam Deum. Nam ſi egregium tale, cujuſmodi eſt mundus Deorum hominumque commune quoddam oppidum, a nullo opifice ædificatum, caſu aut fortuito atomorum concurſu potuit prodire, optimo jure quærent Stoici; cur minora oppida, imo cur poſticam, cur Urbem, cur templum, quæ ſunt minus operoſa, atomi non efficiunt interdum? Aut cur ingens literarum numerus, confuſe projectus, Ennii annales aut ſimilem quendam alium librum efficere non poſſet, ſi nulla omnino ratione aut potentia opus ſit artificis?

§. XI. Opificio mirabilis hujus ſtructuræ addunt rerum, tum cœleſtium, tum terreſtrium gubernationem divinam. Manifeſta exiſtentiæ ſuæ ſigna edere Deum, vel Deos, per fulgura & tonitrua, quæque cœlitus in hanc terram decidant. (De curſu motuve mirando corporum cœleſtium dicemus infra, de providentia agentes.) Rident hæc talia, ſed quo jure? Epicurei ſicut reliqua omnia

mnia ita & hæc caſu incerto fluere contendentes, ſed hoc profecto nullo jure. Non tamen ſigna hæc omnia eſſe rerum futurarum certo poterant concludere Stoici, unde Epicurei divinationem rejicientes omnem: *Quod igitur vi naturæ, nulla conſtantia, nullo rato tempore videmus effici, ex eo ſignificationem rerum conſequentium petimus?* Cic. Div. Lib. II. At hoc qualecunque ſit, nullo tamen modo evincere poteſt, caſu & fortuito naturam non autem Deum hæc efficere, etiamſi res non indicet futuras. Didiciſſe ſe adeo quidem, (at non qua de cauſa, quia nulla eſt vel futilis) ait, Romanæ ille fidicen lyræ, quo ſe appellari nomine dicit, vel digito prætereuntium monſtrari, Horatium puto, fortunam non Deos ejuſmodi efficere. Serm. I. Sat. v. in fine

—— *Namque Deos didici ſecurum agere ævum:*
Nec, ſi quid miri faciat natura, Deos id
Triſtes ex alto Cœli demittere tecto.

Quid autem ſibi tum vult, quod Carm. III. Od. 5?

Cœlo tonantem credidimus Jovem
Regnare: præſens Divus habebitur
Auguſtus.

Adu-

Adulari voluit Auguſto, artificio ſimulationis probe eruditus. Niſi ridere maveli sSatyricum, & Deorum imperium cœleſte, & Auguſti divinitatem in terra: *Expaveſcebat* enim *D. Auguſtus infirmius tonitrua & fulgura adeo ut pellem vituli marini pro remedio ſemper circumferret*, narrante Suetonio in Aug. c. 90. Quod certe ipſum Divum parum decere videbatur.

§. XII. Sed, unde digreſſi ſumus redeamus: Cœleſtia gubernare Deos docent Stoici. Sed & terreſtria, ſummam humano generi utilitatem & maxima commoda procurantes; quæ omnia ſi quis rite contempletur, neque heic deeſſe exiſtentiæ Divinæ teſtimonium, cum caſu & fortuito, ſubinde tot tantaque proditura eſſe, veroſimile neutiquam poſſit fieri; at contra, ſi mundus rectore careret, propediem in mutuum exitium cuncta eſſe ruitura.

§. XIII. Et hæc quidem recte Stoici; nec habent adeo quod regerant Epicurei, niſi decantatum illud, ſed ſola Epicuri autoritate, non autem veritatis vel rationum pondere munitum: *Naturæ iſta eſſe omnia, non Dei vel Deorum*. Verum enimvero hoccine non eſt tantum

Digitized by Google

tummodo petere principium, atque ad rationes Stoicorum omnino nihil reſpondere præter illud ipſum quod erat in quæſtione, quodque docebant Stoici omnino ſe aliter habere? Quid enim, cur ſunt naturæ non Deorum? ideone quod expers negotii debeat eſſe Deorum tranquillitas? ineptam hanc eſſe indicarunt (vid. & quæ de providentia dicuntur).

§. XIV. Pondus hoc habere ratiocinium agnoverunt omnis ævi ſaniores Philoſophi, ejuſdem etiam ex recentioribus defenſor ſtrenuus, magnus & ſolidus ille Ph. Nieuwentyd. Verba ipſius Belgica exhibeamus, ubi hoc argumentum proſequitur, libro quem inſcripſit: Gronden van ſeekerheid, II. deel cap. XXIV.

„ Een of alle konſtwerk uit veele
„ verſcheidene van ſig ſelfs onbewuſte
„ en onverſtandige byſondere ſaeken
„ beſtaende, welke in ſtoffe, eigen-
„ ſchappen, hoedanigheden, figuren en
„ werkingen verſchillen, en ſig ſelfs
„ niet bewegen kunnen; en nogtans te
„ ſamen enig nuttig en nodig uitwerk-
„ ſel voortbrengen, word altydt onder-
„ vonden eenen wyſen en verſtandigen
„ werkmeeſter gehad te hebben.

„ Maer een Menſch, een Dier, een

Digitized by Google

„ Plante, en deſe grote wereld &c. is
„ ſodanig een konſtwerk.

„ Ergo heeft een menſch, een dier,
„ een plante, en deſe grote wereld eenen
„ verſtandigen en wyſen maeker
„ gehad. „

Et quid? Ipſe ille ſummus mundi Creator ſubinde revocat hominem ad ſtupendum illud manuum ſuarum opificium contemplandum, quo cœlum gloriam Dei enarrans adſpiciens, revereri diſceret ſupremum Cœli terræque dominium: cum ex creaturis intelligi & perſpici queant æterna Dei virtus & divinitas, pronuntiante Paulo Rom. 1. 20.

Inſulſum eſt ergo impium Atheorum noſtri ſeculi aſſertum, præter naturam ſeu mundum vel univerſum, alterum verum Deum mundi opificem non eſſe; nulla veritatis demonſtratione adjuti, quî poſſent enim? ſed definitionibus quibuſdam ambiguis vel obſcuris, pro lubitu certe, & non ex rerum veritate conceptis, atque ex his ductis conſequentiis quibuſdam, tam nefandum ſtabilire conantur mendacium. Epicuri quidem Deos fabuloſos habent, omneſque illos reliquos gentium Deos, quid mirum? nullum agnoſcunt, verum abnegant, mundum

Deum

Deum dixiſſe contenti. Non etiam caſui, aut fortunæ, aut Epicuri atomis patrocinari videri volunt; multa narrant de ſerie cauſarum ſeu ordine rerum æterno, multa de Dei Sapientia &c. Sed contrarium in ſpeciem errorem errantes æque abſurdi ſunt. Epicurus quia nullum rectorem agnoſcebat, nullum etiam ſapientem ordinem ſed caſum & fortunam crepare; hi vero ſeriem rerum æternam optimam & decentem, nemine tamen diſponente aut dirigente præter mundum ipſum; qui tamen nec ſapiens eſt nec intelligens, utpote extenſus, cujus extenſionis non eſt intellectus aut voluntas. Hiſce quidem noſtri Stoici, unde iſthæc mundo bene adeo ordinata cauſarum ſeries, ſi præter mundum Deus nullus ſit? Quibus quid illi? quam hanc ipſam ab æterno in ſe continuiſſe mundum. Sed an hoc non eſt ineptire, & principium petere? quaſi dicas mundum ita eſſe compoſitum ut omnia ordine & apte ſuo tempore ex ſe producat, quia ita conſtitutus eſt, & nihil tamen ad quæſtionem quo modo hoc fieri poſſit ſi nemo ſit qui ordinem iſtum ſapientem conſtituerit, quod fieri non poſſe omnis experientia probat. Sed vid. c. II. §. XVI.

§. XV. Sic viſum eſt quid opinentur Stoici de exiſtentia Deorum & quo modo opinionem ſuam confirment; pergimus cum ipſis ad contemplandam naturam Divinam ipſam, qualem ſcilicet nobis exhibent. Hanc cum omnium agnoſcant præſtantiſſimam & optimam, facile deſcribi poſſe negant, reverentiaque illius ducti exemplum laudant Simonidis, poëtæ olim ſuavis & docti, de quo quum quæſiviſſet Tyrannus Hiero, quid eſſet Deus? deliberandi ſibi unum diem poſtulabat, cumque poſtridie biduum expoſceret, ſæpiuſque diem duplicaret, cauſam ſciſcitanti reſpondit: Quanto conſideraret diutius, tanto ſibi rem fieri obſcuriorem. Ita & eſſe in rebus divinis multum calignis confitebantur Stoici, attamen nonnihil dixerunt. Sed heic mirum in modum allucinantur, nec quo cæperant pede pergunt. Diogenem Laërtium, Epicureos, & ſi qui alii ſint, ipſoſque audiamus Stoicos.

Laërtius Lib. VII. de Zenone, Chryſippo & Archidemo, juxta verſionem Latinam: „ Unum eſſe Deum, ipſumque „ & mentem & fatum & Jovem, mul„ tiſque aliis appellari nominibus. Prin„ cipioque illum cum eſſet apud ſe, ſub„ ſtan-

„ ſtantiam omnem per aërem in aquam „ convertiſſe. Et quemadmodum in „ fætu ſemen continetur, ita & hanc „ ſerendi rationem in humore talem re- „ ſediſſe, materia ad operandum aptiſ- „ ſime parata, ex qua cætera poſthac „ gignerentur. Tum genuiſſe primum „ elementa quatuor, ignem, aquam „ aërem, terram.

Et inferius: Deum eſſe animal immor- „ tale rationale, perfectum ac beatum, „ a malo omni remotiſſimum, provi- „ dentia ſua mundum & quæ in mundo „ ſunt, adminiſtrans omnia; non tamen „ ineſſe illi humanæ formæ lineamenta. „ Cæterum eſſe opificem immenſi hujus „ operis, ſicut & patrem omnium. „ Communiter autem & ipſius partem, „ quæ per omnia penetret, eamque „ multis appellari nominibus, juxta „ proprietates ſuas. „

Ab Epicureorum porro partibus ſtans Vellejus, apud Cicer. Nat. D. I. in hunc modum: *Zeno naturalem legem vim divinam eſſe cenſet, eamque vim obtinere recte imperantem, probibentemque contraria... Atque hic idem alio loco æthera Deum dicit eſſe. Aliis autem libris rationem quandam, per omnium naturam rerum pertinentem,*

 ut

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ut divinam eſſe affectam putat. Idem aſtris idem tribuit. De Chryſippo vero: *Ait vim divinam in ratione eſſe poſitam, & univerſæ naturæ animo atque mente, ipſumque mundum Deum dicit eſſe.*

Lactantius paulo diſtinctius: *Uno naturæ nomine res diverſiſſimas comprehenderunt, Deum & mundum, artificem & opus; dicuntque alterum ſine altero nihil poſſe; tanquam natura ſit Deus mundo permiſtus. Nam interdum ſic confundunt, ut ſit Deus ipſa mens mundi, & mundus ſit corpus Dei.* Vel uti Epiphanius: μερίζουσι γὰρ τὴν μίαν θεότητα εἰς πολλὰς μερικὰς οὐσίας, εἰς ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ ἄστρα, εἰς ψυχὴν καὶ ἀέρα καὶ τὰ ἄλλα *Dividunt autem unam divinitatem in plures particulares naturas; in ſolem, & lunam & aſtra, in animam, & aërem, & alia.* Pariter Clemens Alexandrinus in Protrept. *Sed nec prætermittam Stoicos, qui omnem quantumvis vilem & abjectam materiam dicunt Deum pervadere, qui aperte ſuam philoſophiam afficiunt dedecore.* Mundum Stoicis tanquam vivum quoddam animal haberi non ipſi diffitentur, Spiritu quodam divino ipſum agitante, quem vocant ψυχὴν καθολικὴν, quemadmodum hinc mundum ipſum ἔμψυχον, ita

ita ut Spiritus ille ſit mundi τὸ ἡγεμονικόν. M. Anton. Lib. IV. de iis quæ ad ſe ipſum §. 40. ὡς ἓν ζῶον τὸν κόσμον, μίαν ἐσίαν, καὶ ψυχὴν μίαν ἐπέχον συνεχῶς ἐπινοεῖν. *Tanquam unum animal, materiam unam, unamque animam continens, mundum conſiderare debes jugiter.*

Atque hinc etiam Sydera ſe Deos habere concedunt. Deos hæc viſibiles vocat M. Ant. Lib. XII. §. 28. καὶ ὄψει ὁρατοί εἰσιν. Seu jam orta fuerit hæc opinio ex diſtinctione trium hypoſtaſeôn Divinarum Platonica: (undecunque hanc Plato etiam hauſerit) quarum prima ſit ſuprema, altera mundi artifex, tertia mundi anima; prout Cyrillus Alexandrinus ex Porphyrio; ſeu, quod admirandæ rerum omnium gubernationis, ſummi ordinis, ejuſdem ſemper conſtantiæ, cœleſtium maxime luminum ſtupore abrepti, verum mundi opificem ignorantes in hunc fuerint errorem prolapſi. Antiquiſſimis hic certe fons eſt erroris, & origo idololatriæ, qui quæ erant Creatoris, affectione quadam in Deos viſibiles propenſione, creaturæ deferebant. Philo de Chaldæis, in vita Abrahami p. m. 500. ex interpretatione Gelenii: *Nam Chaldæi cumprimis exercitati ſyderali*

Digitized by Google

ſcientia, omnia tribuentes ſtellarum motibus, a quibus credebant diſpenſari mundi potentias, quæ conſtant ex numeris eorumque proportionibus, venerabantur iſtas res viſibiles, non percipientes inviſibilia & intelligibilia, ſcrutantes illarum tantum ordinem atque ita e ſolis, lunæ, ſtellarum erraticarum fixarumque circuitibus, & anni in quatuor tempora diſtincti vicibus, conſenſuque rerum cœleſtium ac terreſtrium, mundum ipſum exiſtimabant eſſe Deum, profana opinione creaturam facientes creatori ſimilem.

§. XVI. Ita in perſpiciendis rebus Divinis, cæcutiebant oculi Stoicis; ut licet exiſtentiæ Divinæ valide ſatis oſtenderint luculentiſſimum mundum & quæ mundo accidunt, perhibere teſtimonium, dicturi tamen quis Deus eſſet, longiſſime aberrarint a via. At hi quidem ſuperſtitione ducti Deos venerati ſunt plures, eximia virtutis & bonitatis Divinæ in creaturis deprehendentes indicia. Sed impii hujus ævi Athei Deum nullum venerantur, verum blaſphemant. Et quicquid decoris naturam exornet, ordine præpoſtero ex naturæ conſtitutione ita prodire debuiſſe γυμνῇ κεφαλῇ aſſeverant. O acutos homines! quam pau-

paucis verbis confectum negotium putant. * Leideck. Reſp. Heb. l. 1. lib. III. c. IV.

CAPUT II.

De PROVIDENTIA DEORUM.

§. I. GRæcorum *προνοιαν* Latine dici poſſe providentiam, ait Vellejus apud Cic. Nat. D. 1. Sed hanc ipſi appellare placet *anum fatidicam* Stoicorum. Nec mirum, Epicureus quippe eſt, ab omni rerum cura & adminiſtratione otioſos ſuos Deos removens, quem ita ſciſcitari juvabat: *Quæ molitio, quæ ferramenta, qui vectes, quæ machinæ, qui miniſtri tanti muneris fuerunt? Quemadmodum autem obedire & parere voluntati architecti, aër, ignis, aqua, terra potuerunt?* Facilius, credo *κοσμοποιΐαν* procurare potuit fortuitus atomorum concurſus. Facilius etiam expedient mirificæ illæ atomi, rerum omnium eventus, quam Divina providentia. Contrarium eſſe verum contendunt Stoici, & ſi ſint Dei, eſſe & providentiam, qua primum mundus ſit conſtructus, & porro gubernetur. Concedunt Epicurei recentiorem eſſe mundum, quam ut ab

omni æternitate extitiſſe dici debeat. Lucret.

Nempe ut opinor habet novitatem, ſumma recenſque
Natura eſt mundi, neque pridem exordia cæpit.

At præter atomos, huc illuc temere volitantes, & concurrentes, alium habuiſſe opificem negant. Perennem etiam naturæ motum & operationem, jugis & ortus & interitus cauſam, ſed naturam ipſam qui moveat ac dirigat, eſſe neminem. Stoici ex adverſo, ſive æternum quis dicere velit mundum, ſive perdiuturnum, ſive recentem abſque Divina & ſapientia, & potentia, unquam coaluiſſe fortiter negant. Poſſe etiam abſque Providentia Divina eſſe & permanere, talem qualis eſt, minimè credunt. Scrutari lubet quid de Providentia habendum velint Stoici: quibuſque hanc ſuam opinionem rationibus fulciant.

§. II. Prævio divino conſilio olim eſſe conditum mundum docent noſtri Stoici, non eſſe enim ſapientis exiſtimant, nullum de rebus agendis capere conſilium. Illudque fuiſſe conſilium ſapientiſſimum & optimum, id eſt, divinum. Ipſam autem κοσμοποιίαν anne animæ mundi

mundi commiſerint Dii Socii, an unitis viribus perfecerint? quæri poſſet. M. Ant. ita Lib. VII. §. ϛ. ἡ τοῦ ὅλου φύσις ἐπὶ τὴν κοσμοποιΐαν ὥρμησεν &c. *Univerſi natura ad mundi fabricam ſe intendit &c.* at quæ ibi, ſubobſcura ſunt. Doct. Gatakerus ita παραφράζει: „ Ad mundi hujus fabricam producendam ac conſtituendam peculiari quodam motu univerſi natura acceſſit. Deinceps autem, vel quæcunque in eo contingunt, vi nexus cujuſdam & conſequentiæ neceſſariæ, lege certa tum conſtitutæ, eveniunt, vel principalia illa ad quæ univerſi mens præcipue & quaſi peculiariter ſe intenderit, nulla ratione ſed temere diſpoſita fuerint. At hoc eſſet abſurdiſſimum, mentem univerſi, cum ad iſta producenda ac conſtituenda peculiari motu proceſſit, de futura diſpoſitione atque ordinatione legem nullam tuliſſe. „ Sic & ſuæ animæ mundi, in ipſius fabrica, partes tribuuntur, at vero ad conſilium hoc capiendum & exſequendum acceſſiſſe Deorum concilium, communior Stoïcorum opinio fuiſſe videtur: prout & in hanc ſententiam ſunt procliviores, conſtructum ſemel mundum exinde non regi

regi ab uno aliquo Deo, ceu principe, ſed Deorum toto conſeſſu. *Exiſtimas*, ita in hanc rem apud Cic. Nat. D. Lib. II. *ab his* (Stoïcis) *providentiam fingi quaſi Deam quandam ſingularem, quæ mundum omnem gubernet ac regat. . . quum dicimus providentia mundum adminiſtrari, deeſſe arbitror, Deorum; plene autem ac perfecte ſic dici exiſtimato, providentia Deorum mundum adminiſtrari.* Et mox: *Dico igitur providentia Deorum, mundum & omnis mundi partes & initio conſtitutas eſſe, & omni tempore adminiſtrari.* Scilicet pariter beatis, juſtis, ſanctis, nullo diffidente vel reluctante, eundem Diis eſſe ſcopum judicant Stoici, eandem voluntatis propenſionem in mutuum bonum, & univerſi commodum: atque ita ordinaſſe ipſos mundum & quæ mundo eſſent futura, modo & ordine ſapientiſſimo, ſibi humanoque generi, quin univerſo, utiliſſimo, optimo, *inter ſe* porro, *tanquam civili quadam conciliatione & ſocietate conjunctos, unum mundum, ut communem rempublicam atque urbem aliquam regentes.* Cic. Nat. D. Lib. II. Mundum hac ratione πόλιν appellat Epictetus: ὅτι ὁ κόσμος οὗτος μία πόλις ἐστί. Pariter Anton. Lib. IV. §. 3. ὁ κόσμος ὡσα-

ὡσανεί πόλις. item Lib. IV. §. 23. ὦ πόλι φίλη Διός coll. Lib. X. §. 15. XII. 36. &c. Hinc illud συμπολιτεύεσθαι θεοῖς Lib. X. §. 1. Civem immorigerum ideo dicunt, qui legibus recuſat divinis obedientiam, uti deinceps dicetur.

§. III. Exulat ita ex magna hac mundi civitate, Dea plurimis habita Fortuna, cœloque locata: & univerſo & ſingulis ejus partibus ſua ab æterno aſſignaſſe Deos fata pergunt noſtri Stoïci docere: eoſque, quia ſoli ſecum ratione utuntur homines, curam hominum geſſiſſe cumprimis, illoſque terræ & terreſtrium dominos conſtituiſſe. Sen. de ben. Lib. VI c. 23. *In prima illa conſtitutione cum univerſa diſponerent (Dii), etiam noſtra viderunt, rationemque hominis habuerunt.* Cic. de Offic. Lib. I. *Placet Stoicis, quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari* Et Nat. D. Lib. II. *Principio ipſe mundus Deorum hominumque cauſa factus eſt, quæque in eo ſunt, ea parata ad fructum hominum & inventa ſunt. Eſt enim mundus quaſi communis Deorum atque hominum domus, aut urbs utrorumque. Soli enim ratione utentes jure ac lege vivunt.* Porro certum ac determinatum rerum a ſe efficiendarum ordi-

dinem Deos conſtituiſſe, unde cauſarum ſibimet implexarum & cohærentium, altera continuo generet alteram, juxta conſtitutam ſemel ordinationem divinam. Hæc M. Antonino συνδέσις ἱερὰ vocatur Lib. VII. §. 9. quæ ipſis eadem atque εἱμαρμένη videtur, quæ eſt quaſi ἐπιπλοκὴ τῶν αἰτιῶν de qua Ant. L. x. §. 5. vel ſi placet vocabulum notiſſimum, *fatum. Fatum autem id appello, quod Græci* εἱμαρμένην, *id eſt, ordinem ſeriemque cauſarum, quum cauſæ cauſa nexa rem ex ſe gignat.* Cic. Div. I. Mirum videri poſſet, nos fati nomine aliquam divinam conſtitutionem deſignare voluiſſe Stoicos, opinari. Attamen hanc ipſis mentem fuiſſe facile mihi perſuadeo. Atque ita Epicuri fabulas ſolidiori fundamento feliciuſque refutare potuerunt. Si enim fati nomine futurorum inordinatam quandam, ſed & inevitabilem neceſſitatem intelligerent, quo jure Epicuri caſum & fortunam rejicerent, ſi hinc & inde ſapientem nemo futurorum ordinem diſpoſuerit? Verbo, Stoicorum principiis & dictis fatum illud ἄλογον, id eſt, æternam quandam, neſcio qualem rerum futurarum immutabilem neceſſitatem, a nemine nec Deo nec homine conſtitutam,

tam, qui volentes nolentes ſubjicere ſe debeant Dii æque ac homines, & quæcunque tenet univerſum, repugnare puto. Curam tum hominum gerere non potuerunt Dii, nec ex rebus ipſis omniumque ſapientiſſima ordinatione, quam ubique obviam contendunt, exiſtentia Deorum probari poteſt; ſi nihil hæc omnino ad Deos, vel ipſorum operationes, quæ tamen volunt Stoici. Fato ergo, quidem dudum conſtitutum eſſe rerum ordinem & eventum, etiam inevitabilem; ſed fatum eſſe ordinationem Deorum, immutabilem, quia repugnet ſapientiæ divinæ conſilia capere, ex defectu quodam cognitionis aliquando mutanda. Cæterum ubi de fortuna & caſu, vel providentia & fato loquuntur, exiſtimet nemo dicere contraria Stoicos. Caſus juxta illos, & fortuna ad hominem, providentia & fatum ad Deos pertinet, id eſt, caſu vel fortuito hominibus res eveniunt, vel evenire videntur, ſed providentia, vel fato, ſeu conſilio ſuo ſapientiſſimo illud ita ut eveniat, curant Dii. Ideoque a divina diſpoſitione repetit M. Anton. id omne quod homini obtingit: Ὅ, *τι ἂν σοι συμβαίνῃ τοῦτό σοι ἐξ αἰῶνος προκατεσκευάζετο.*

Quic-

Quicquid tibi contingit ab æterno primum deſtinatum fuit. Lib. x. §. 5. Neque enim prædeſtinationis illius nomine intelligere Philoſophum fatalem quandam inordinatam neceſſitatem, ſed conſtitutionem divinam, colligere licet ex iis quæ dixerat Lib. IV. §. 31. 34. & expreſſe Lib. III. §. 11. διὸ δεῖ ἐφ' ἑκάςϐ λέγειν, τϐτο μὲν παρὰ Θεϐ ἥκει. *De ſingulis ergo dicere oportet; hoc a Deo venit.* Quæque ibidem addit, de rebus fortuito contingentibus, accipienda ſunt quo ſenſu jam diximus. Ita providentiam & fortunam conjungit, Lib. I. §. 7. ubi varia recitarat quæ ſibi obtigerant, ſic tandem concludit: πάντα γὰρ ταῦτα θεῶν βοηθῶν καὶ τύχης δεῖται. *Iſta etenim omnia auxiliantibus Diis & fortuna indigent.* Niſi fortunæ domini eſſent Dii, quomodo auxilium Deorum Antonino prodeſſe poſſet, ſi fortuna noluiſſet: vel quomodo loquitur de auxilio Deorum & fortuna, ſi fato inevitabili ſed irrationali, & divina omnia ſint conſtituta & humana? Doct. Gatakero aſſentior qui ad hæc Antonini ita: „ τύχης nomine pro-
„ videntiam divinam intelligere vide-
„ tur, vel caſus potius fortuitos re-
„ rumque contingentiam providentia
„ di-

„ divina diſpoſitam & gubernatam. „

§. IV. Atque hæc illa eſt, quam exagitant tanquam anum fatidicam Epicurei, Stoicis recepta Deorum πρόνοια, providentia. Multum inter ſe diſtant, qui

In fortunæ . . caſibus omnia ponunt
Et nullo putant mundum rectore moveri,
Natura volvente vices & lucis & anni:

naturæ nomine vim quandam appellantes, ſed neſcias qualem, nulla cum ratione agentem aut operantem, ſeu *corpora & inane quæque his accidunt:* Et illi, qui omnia optime, conſtantiſſime, ſapientiſſime, dirigi advertentes, vim divinam, humana omni majorem, & præſtantiorem, juxta ordinem ſemel conſtitutum movere & dirigere univerſa docent. Et licet inepti illi Epicurei ſoli ſibi ſapere videantur, cum tamen ſentiant plerumque nihil elegans aut decorum, quin præcellant hiſce, & hac in parte Stoici ſaniores, ſapientem facile perſpecturum credo.

§. V. Hanc ſuam porro de Deorum providentia theſin rationibus urgent non contemnendis Stoici. Potiores in medium proferemus, quarum altera a Deorum natura deſumitur, alteram ſuppeditat experientia.

§. VI. Agnoſcere Stoicos multum caliginis in rebus eſſe divinis ſibique difficillimum de ipſa Deorum natura certi quid definire, atque re ipſa a via deviaſſe ipſos, ſuperius indicavimus. Ex iis nihilominus, quæ naturæ divinæ, tanquam præſtantiſſimæ, res ipſa docet eſſe tribuenda, quæque ne ipſe quidem Epicurus, licet jocandi potius, quam verum eruendi gratia, fabuloſa quædam ſatis de Diis commentus ſit, negare poteſt, ſi ullum eſſe Deum agnoſcere videri velit, colligere licebit, & tuto ſatis, Stoïcis noſtris Deorum providentiam. Placebat ita Epicuro: prædicandam eſſe de Deo æternitatem & beatitudinem, quia neceſſe ſit dari præſtantem aliquam naturam, qua nihil ſit melius; Aſſentiebantur Stoici: naturam divinam debere eſſe æternam, beatam, ac perfectam, rebuſque adeo omnibus excellentiorem, ſumme ſapientem, & potentem, & independentem quovis modo urgebant. Qualis ſi foret vere natura divina, providentia jam ergo amplius, aliqua veri cum ſpecie, negari ipſis poſſe non videtur. Quid enim? ſic urgent: ſi providentia divina mundus non regatur, vel omnino non regitur; vel regitur

tur ab alio non Deo. At neutrum dici poteſt commode. Providentia igitur regitur mundus. Res ipſa loquitur. Si namque omnino mundus non regeretur, ſed omnia motu quodam fortuito, nullo moderante ferrentur huc illuc & impellerentur; deeſſet ergo divinæ naturæ ſapientia, vel potentia, vel beatitas. Sapientia, ſi vel ignoret Deus quorſum iſta omnia ſint ruitura, vel neſciat ad certum finem dirigere. Potentia, ſi caſus iſtos fortuitos non poſſit vel potuerit diſponere pro beneplacito. Beatitas, ſi de ſalute ſua neutiquam poſſit eſſe certus. At non poſſe, ſi nemo ſit qui atomorum impetum, caſu & temere volitantium, ex mente Epicuri, a Diis arceat, quo minus illa lædatur, jam diximus. Si ille, confingenda declinatione atomorum difficultatem hanc tollere conetur, non tamen ipſum elabi permittent Stoici quin preſſius urgeant: Neque enim concurſum atomorum tum fortuitum eſſe amplius ſi atomorum quædam ſit declinatio qua liberi periculo conſtituantur Dii, vel ad omnes ictus tuti. Sed unde etiam iſta atomorum declinatio? numquid a natura! ſed natura atomos temere & fortuito omnes ferri ſinit: Numquid a Deo

Digitized by Google

ipſo? multo minus: nihil enim nec ſui curare Deum Epicuri, viſum fuit, nec alieni: turbaret etiam hoc ipſum quietem iſtius Dei. Laborat itaque perpetuo Deorum beatitas, tranquillitas, & æternitas; Quæ tamen a natura divina tolli minime poteſt, etiam juxta Epicurum. Merito id ergo urgent Stoici: ſi natura divina ſit excellentiſſima, ſapientiſſima, ac beata, datur ergo providentia, mundum & quæ in mundo ſunt adminiſtrans. Neque enim beata foret divina natura, ſi impotens eſſet vel ignorans, adeoque recte: *Ignoratio rerum aliena naturæ Deorum eſt, & ſuſtinendi muneris propter imbecillitatem difficultas minime cadit in majeſtatem Deorum.* Cic. Nat. D. Lib. II. At porro regi mundum ab alio non Deo, implicat. Eſſet enim ille potentior & præſtantior potentiſſimo & optimo. Neque id ipſum vult Epicurus.

§. VII. Alteram addunt confirmandi dogmatis ſui ergo rationem Stoici. Experientiam omnem teſtem advocant: cœleſtia, terreſtria quæque his accidunt contemplari jubent; ſingula acclamatura promittunt, dari providentiam cuncta gubernantem, περισκοπεῖν ἄςρων δρό-

μȣς

Digitized by Google

μϐς vult Antoninus Lib. VII. §. 47. Eum putant, qui attente conſideret tot in cœlo miracula, ſolem, terra noſtra tanto majorem, ſtabili curſu tantum permeantem ſpatium; ſtellas tum errantes tum inerrantes, & quæ ibi plura, dubitare nulla ratione poſſe, quin a potenti ſapientique formatore fuerint aliquando confecta hæc omnia, & continuo gubernentur. *Hæc omnis deſcriptio ſiderum, atque hic tantus cœli ornatus, ex corporibus huc & illuc caſu & temere concurſantibus, potuiſſe effici cuiquam ſano videri poteſt?* Cic. Nat. D. Lib. II. Iterum: *An quum machinatione moveri aliquid videmus, ut ſphæram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus quin illa ſint opera rationis: quum autem impetum cœli cum admirabili celeritate moveri vertiqueÌ€ videamus, conſtantiſſime conficientem viciſſitudines anniverſarias, cum ſumma ſalute e conſervatione rerum omnium, dubitamus quin ea non ſolum ratione fiant, ſed etiam excellenti quadam divinaque ratione?* Hominem ideo conditum ajunt ad contemplanda cœli ſidera, & quæ ſuperiora de divina tum potentia, tum ſapientia teſtantur. Quorſum ipſa ducit hominis apud Græcos denominatio: eſt enim

ἄνθρωπος ab ἄνω τρέπειν juxta Ovidii illud notiſſimum:

Os homini ſublime dedit: cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Uti & Balbus apud Cic. Nat. D. Lib. II. vultum homini erectum eſſe datum ait, *ut Deorum cognitionem cœlum intuentes capere poſſent. Sunt enim*, inquit, *ex terra homines, non ut incolæ & habitatores, ſed quaſi ſpectatores ſuperarum rerum atque cœleſtium.* Cœleſtibus conſpicienda adjungunt terreſtria; rerum maxime vita fruentium conſtitutionem prorſus mirandam, ſingularum, vitæ viriumque conſervandarum pronitatem naturalem, ne in nihilum aut chaos informe cuncta recidant, divinæ providentiæ & curæ indicia: negligendo etiam minime parvo mundo in majori, homine ipſo; non quod ſingulæ eorum, quæ in magno mundo ſunt particulæ, inveniantur in ipſo, ita dicto, ut vana eruditione turgidus & impius Theophraſtus nugatus eſt; ſed quod in ipſo homine uno, tanta ſit mirabilium copia, ut parvus mundus queat nuncupari. Scite Auguſtinus: *videt homo inſolita & miratur, miratur alia, cum ſit ipſe mirator magnum miraculum.* Ipſam hominis formationem in ute-

utero, opificium divinum eſſe magis quam hominis ajunt, namque *σπέρμα εἰς μήτραν ἀφεὶς ἀπεχώρησε ſemen qui in uterum miſit, diſceſſit* M. Ant. L. x. §. 26. ipſamque membrorum compoſitionem id demonſtrare dicunt: *natura* (talis ſcilicet qualem diximus naturam intelligere Stoïcos) *dedit nobis manus multarum artium miniſtras: eadem linguam & loquelam &c.* quibus brutis præſtat homo uſque perficere poteſt magnas & miras. Et licet vulgo humanam mentem ex anima mundi decerptam exiſtiment, atque ita divinam, quatenus tamen homini a Diis data eſt, & hanc providentiam divinam dari, ultro teſtari volunt, mentiſque vix compotem, qui & hanc ex atomis, vel aliunde defluxiſſe putet *Rationem, conſilium, prudentiam, qui non divina cura perfecta eſſe perſpicit, his ipſis rebus mihi videtur carere.* Cic. de Nat. D. Lib. II.

§. VIII. Si ad hæc omnia iterum ſolita ſua exceptione Epicurei: Naturæ iſta eſſe non Deorum: reſponſio Stoïcis in promptu eſt; rem ſimili illuſtrant. Navim conſpicit quis eminus quæ per vaſtum æquor feratur; ſecundis, non modo ſed etiam aliquando adverſis ven-

tis agitatam, nulli tamen ſcopulo alliſam, in nullum injectam vadum recta ferri videt; hiccine ſibi perſuadebit, nautam aut gubernatorem iſtam navim neutiquam dirigere, ſed vela & ventos hanc in portum deducere? atque an hoc ſubinde poſſe fieri credere poterit? *Deorum immortalium ope & auxilio multo magis, quam ratione hominum & conſilio, gubernari Romanam remp.* affirmabat, non tantum eloquentiſſimus Tullius, Orat. pro C. Rabirio; ſed & laborantem eandem ita depingit Lyricus ille Vates, Epicureus licet Carm. Lib. I. Od. XIV.

O navis, referent in mare te novi
Fluctus, o quid agis? fortiter occupa
Portum: nonne vides ut
Nudum remigio latus? &c.

Qui non facilius perſpiciunt, abſque divina gubernatione mundum continuo in motu elementorum, tanquam vaſto in æquore, ventiſque tumido, poſitum, propediem collapſurum, næ iſti cæcitiunt valde. Per tot tamen ſecula conſtitit mundus, nec concidit. Datur ergo providentia mundum & quæ mundo accidunt, ordinans & gubernans.

§. IX. Quas vero moverunt hanc in rem difficultates Epicurei, partim a

Deo-

Deorum quiete & tranquillitate deſumptas, partim ab injuria fortunæ, quæ invida viris fortibus & bonis videtur, non curant magnopere ſaltem facile poſſe tolli exiſtimant Stoïci. Tranquillitatem ſcilicet veram non eſſe, iſtam quam fingit Epicurus Deorum quietem, ſed otium prorſus indecorum; & de ea nos etiam ſupra diximus. Non eſſe ergo quod metuat quiſquam perturbationem aliquam divinæ & beatæ tranquillitatis, neutiquam enim hoc providentiæ opere defatigari ſumme potentes Deos, ſed delectari communis ſuæ civitatis aut reip. gubernatione. Caſus autem fortuitos quod attinet, viris bonis ſæpiſſime adverſos, impiis rarius: illos, vel malorum numero eſſe eximendos; vel ſaltem viro bono evenire tanquam incitamenta virtutis, ardua enim virtus perpeſſione moleſtiarum addiſcitur. *Dignum*, ait, *ſpectaculum* Seneca, *ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus; & par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compoſitus.* De prov. c. II. Exiſtimant nempe bonum & malum, ſolam animam reſpicere; bonumque & malum tantum vocari debere virtutem & vitium; & ſic nihil eſſe bonum aut malum dicendum,

niſi quod juſtum ſit & honeſtum vel contra; ideo externa illa omnia, quæ corpus tantum attingunt, nemini prodeſſe vel nocere: atque ita tandem pronuntiant, *viro bono nihil poſſe accidere mali. Magnis viris proſpere eveniunt omnes res, ſiquidem ſatis a noſtris & a Principe Philoſophorum Socrate dictum eſt de ubertatibus virtutis & copiis.* Cic. Nat. Deor. Lib. II. ſub finem. Eſt ſcilicet ex Stoïcorum paradoxis: Ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν. Cic. de par. Stoïcorum.

§. X. Rem omnem ſic ſatis apte ſe confeciſſe arbitrantur Stoïci. Et ſi quod res eſt, dicendum eſt, licet erroribus involuta quædam immiſceant, atque quantum ad poſterius iſtud, ſecent potius nodum quam ſolvant, non debent tamen penitus ſua laude carere; multa dicunt & vera & præclara. Item ipſum tenent, probant, urgent, dari divinam providentiam, mundum gubernantem, ſapientiſſime & optime. Attamen, ubi dividendum tradunt inter plures Deos providentiæ opus, recepta Deorum multitudine, vero Deo quem ignorabant, operis ſui gloriam & laudem adimunt. Qua tamen, Deorum multitudine aſſerta, nihil videbantur dicere aptius poſſe.

Rixæ,

Rixæ, altercationes, diſſidia, & quæ porro de Diis nefas erat dicere, maximam partem Poëtarum fictionibus ortum debebant; (quanquam Plautianus ille concordes eſſe Deos putet

—— *Item alios Deos facturos ſcilicet.*
Sane illi inter ſe congruunt concorditer.

Plaut. Curc. Act. II. Sc. II.) & neutiquam majeſtatem decere divinam Stoïcis credebantur. Ergo, cum & Deos ab adminiſtratione mundi arcere velle cum Epicuro, æque videatur abſurdum, quid reliquum erat dicere, quam diviſum quaſi inter Deos eſſe regimen mundi, at hos divina ſocietate conjunctos, placide, quiete, optime, ut ſapientibus convenit, regnare? Ordinationem dein divinam ſapientiſſimam eſſe & optimam agnoſcebant, minime injuſtam, licet ſæpe occultam, multaque caligine tectam; cumque plurima adverſa bonis viris evenire & viciſſim, omnis experientia doceret, non hoc negare potuerunt aut voluerunt, ſed ad quæſtionem quid de his habendum ſit? ita reſpondendum putarunt: vel minoris iſta eſſe momenti ſæpe, quam ut Dii hæc curare cenſeri debeant. Vel non eſſe hæc talia qualia vulgo videntur, ad felicitatem vel calami-

Digitized by Google

mitatem veram viri boni parum aut nihil facientia, quippe quæ non animam, ſed corpus attingerent. Imo vero liberum ex iſtis omnibus adverſis, ſi quem premant exitum dare ſemper Deos immortales, αὐτοχειρία conceſſa. Dediſſe enim Deos unum tantum introitum in mundum, exitus vero multos: Laudantibus non hanc tantum Stoïcis, ſed & aliis ex gentibus, non tamen Ariſtotele, de Platone dubitatur, aliis ſat multis. Multa Romani in laudem Lucretiæ, cumprimis vero Catonis illius Uticenſis quem Diis quam hominibus propiorem ajebant, humanis vitiis immunem, quique fortunam ſemper in ſua poteſtate haberet. Præclare hunc obiiſſe dicit Cicero; Ep. Fam. 168. Lib. IX. *Cæteri quidem, Pompejus, Lentulus tuus, Scipio, Afranius fœde perierunt, at Cato præclare.* Sic & Horatius *nobile* Catonis *lethum* appellat: Carm. Lib. I. Od. XII.

Romulum poſt hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an ſuperbos
Tarquini faſceis, dubito, an Catonis
Nobile lethum.

Stoïci exempla habent ſectæ ſuæ conditorum Zenonis & Cleanthis. Pertinent & huc illa Senecæ Tragici Herc. Fur. 425.

— *Cogi*

— *Cogi qui poteſt neſcit mori.*

Et Agam. 604.

O quam miſerum eſt neſcire mori! &c.

§. XI. At non ſunt hæc ſatis philoſophice dicta; nec quidem placita Stoïcorum ſic ſatis conveniunt ſibi: docent enim Rationem cuilibet aſſignatam ſervandam eſſe, nec cedendum fortunæ. M. Ant. ex Platone Lib. VII. §. 45. ſi in rebus civilibus, maxime in iis quæ ad magnam illam civitatem mundi pertinent, cujus gubernatores ſunt illis Dii; Eo quidem magis, quod rerum omnium ſapientes credant Diis rationes conſtare. Idem Anton. ex incerto Tragico, Lib. VII. §. 41.

Εἰ δ' ἠμελήθην ἐκ θεῶν καὶ παῖδ' ἐμὼ
Ἔχει λόγον καὶ τοῦτο.
Si me meoſque liberos Dii negligant,
Hujus etiam conſtat ratio.

Recte ergo Auguſtinus, tantum laudis non mereri mortem Catonis, ab invidia victi vel ignominia, quod profecto tanto viro erat indignum, qui fortunam in poteſtate habere dicebatur. [1] *Quid eſt ergo, niſi quod filium quantum amavit, cui parci a Cæſare & ſperavit & voluit, tantum gloriæ ipſius Cæſaris, ne ab illo etiam ſibi parceretur, ut ipſe Cæſar dixiſſe fertur,*

tur, invidit: aut ut aliquid nos mitius dicamus erubuit? de Civ. Dei Lib. 1. c. 23. vid. & quæ ille de reliquis *ἀυτοφόνοις* in ſequentibus.

§. XII. Cæterum in demonſtranda ipſa divina providentia procedunt felicius, ad rerum ordinem optimum, & gubernationem ſapientiſſimam provocantes; neque Epicureus quiſquam, vel quicunque Epicuri veſtigia ſequutus eſt, hujus unquam demonſtrationis vim eluſit. Atque cauſæ quidem ipſi ſuæ jugulum videtur petere mihi rem Epicuri agens Vellejus. Cic. Lib. III. de Nat. D. *Sed quum mundo negas quicquam eſſe melius, quid dicis melius? ſi pulchrius, aſſentior: ſi aptius ad utilitates noſtras, idquoque aſſentior: ſin autem id dicis nihil eſſe mundo ſapientius, nullo modo prorſus aſſentior.* Neque nos aſſentimur, ſed ſi mundo nihil melius, pulchrius, aptius ad utilitates noſtras dari concedat Vellejus, hoc quidem interrogabimus, numquid hoc tamen ſine aliqua ratione, ſed caſu prorſus fortuito cœci potuiſſe credi poſſit: *Nihil eſt*, ait, *mundo melius in rerum natura, ne in terris quidem urbe noſtra: num igitur idcirco in urbe eſſe rationem, cogitationem, mentem putas?* Non equi-

equidem ad exemplum lapidum illorum, quos ratione quidem uſos diceret quis, qui ad cantum Amphionis concurriſſe ſponte dicuntur ad muri Thebani exſtructionem, a Poëtis, quos inter Fidicen Romanæ lyræ, qui Carm. Lib. III. Od. XI.

Mercuri, (nam te docilis magiſtro
Movit Amphion lapides canendo) &c.

& in Art. Poët.

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda &c.

coaluiſſe aliquando credimus urbem veſtram elegantiſſimam; ſed ipſene vero ex adverſo, ſine ulla ratione, ſine ullo conſilio, ſine ulla arte prodiiſſe caſu vel fortuito exiſtimas? Id ſi neges, ergone meliorem urbe veſtra mundum ſine ullo conſilio & ratione diſpoſitum credis? Atque an ſic reſpondiſſe cenſeri poteſt Vellejus ad illud Stoïci Balbi: *Cum impetum cœli cum admirabili celeritate moveri vertique videamus, conſtantiſſime conficientem viciſſitudines anniverſarias, cum ſumma ſalute & conſervatione rerum omnium, dubitamus quin ea non ſolum ratione fiant, ſed etiam excellenti quadam divina-*

que

que ratione? quatenus ſcilicet excellenti ſeu divina ratione conſtructa iſta ſunt & diriguntur. Audire lubet quid de his talibus ſolidiſſimus noſter jam laudatus B. Nieuwentyd? Verba ipſius Belgica ſic habent:

„ Verbeeld u dan wie gy zyt, een
„ Sphæra te ſien. Waer in een vergul-
„ de bol de Sonne vertoont: om welke
„ verſcheiden andere bollen en daer on-
„ der weder enige met hare omlopers,
„ in een geſetten tyd, niet in volkemene
„ Ronde maer Lang-ronde Elliptiſche
„ wegen omgevoert worden, ſonder
„ dat men iets vernemen konde, daer
„ de eene aen de andere hegtede, of
„ dat de tuſſchenwyten vervulde dan al-
„ leen het ligt &c. Soud gy na dit al-
„ les geſien te hebben in het klein, niet
„ denken dat al wie verſtandig was, u
„ belacken ſoude, indien gy dit alles
„ niet alleen een ſchoon Konſtwerk
„ maer ſeekerlyk een ſodanig Konſt-
„ werk, welk de wysheid van ſynen
„ Maker op 't klaerſte vertoonde, wei-
„ gerde te noemen, &c. II. Deel, Cap.
„ XXIV. Ecquid hæc differunt ab iis quæ
„ Balbus ibi? niſi quod hæc & quæ ibi
„ porro, ſint ampliora, & dilucidiora.

§. XIII.

§. XIII. At mutilare tandem Stoïcos, quam dari fortiter aſſeverabant, divinam providentiam, non diſſimulabimus. Verbo quidem tenus magna curare Deos, negligere parva dicunt; ſed re ipſa maxima quædam fato vel providentiæ divinæ ſubducunt, ea videlicet, præter & alia nonnulla, quæ pertinent ad humanam mentem, liberamque ipſius, quam ei aſſignant, & independentem indifferentiam. Ex iis quæ apud Ciceronem de Fato diſputantur, colligere eſt; aſſentiri multos Stoïcos ſuo Chryſippo, qui motus animorum voluntarios fati neceſſitate, ſeu divina determinatione ajebat eſſe liberos. Inſtituebat ſcilicet ultro philoſophia quæſtionem περὶ δυνατῶν *de poſſibilibus*: conſequens videbatur, ſi eſſent immutabiliter omnia diſpoſita, perire humanæ voluntatis arbitrium prorſus liberum & independens. At hoc philoſophiæ Stoïcæ adverſabatur. Credebant animam humanam ſui ipſius dominam, cujus in poteſtate reliquerant Dii, ſibi ipſi propriam, quam vellet, beatitatem acquirere, eo quod ejuſdem anima humana ſecum eſſet originis divinæ, ſeu naturæ ejuſdem particeps. Hinc judicarunt

Digitized by Google

quædam a Diis non determinata homini prorſus, ejuſque independenti relicta eſſe electioni. Atque hæc ea ſunt, quæ Epictetus cum ſuis Stoïcis ſæpius vocat τὰ ἐφ᾽ ἡμῖν. At hæc talia Theologia Chriſtiana prorſus aliena cum ſint, non eſt quod Pelagio vel qui cum eo faciunt, aſſentiamur, prorſus indifferentem humanæ mentis libertatem divinæ providentiæ ſubmittere recuſantibus. Pudet omnino dicti Jeſuitici: *Cauſarum liberarum nullam, eſſe prædefinitionem.* Ita ſcilicet ſatis expreſſe Jeſuita Tirinus: *Quia circa actiones cauſarum liberarum, vel nulla eſt prædefinitio:* &c. *Vel, ſi ſubinde circa aliqua, v. g. circa paſſionem & mortem Chriſti Act.* IV. 23. *non tangit niſi ſubſtantiam actionum vel paſſionum, non vero etiam ſingulas circumſtantias.* Joh. x. 18. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam.* Quæ tamen illa Jeſuitæ limitatio nullius eſt ponderis, etiam ibidem loci, ubi de morte Chriſti agitur. Si enim propter definitionem divini conſilii fieri aliter non debuerit, nec potuerit, quid ergo, ſi impii illi crucis afficere ſupplicio noluiſſent Chriſtum? Nullum puto heic caſui, vel etiam ſcientiæ cuidam mediæ, a Jeſuitis confictæ,

locus

locus relinquitur. Neque enim definivit Deus mortem Filii ſui quia prævidebat quid impii illi tali in circumſtantia eſſent facturi, præpoſtero hæc quidem fierent ordine; ſed futurum erat, quia definierat. At refutantem Jeſuitam copioſe & ſolide videat Lector Cel. Mareſium Cont. XIII. de Libero Arbitrio. Nos porro omnem illam de libero arbitrio quæſtionem Theologico foro committimus, dixiſſe contenti, ex hypotheſi jam dicta de animæ divinitate definiviſſe Stoïcos: „ Quibuſdam in rebus, „ cauſis antegreſſis, in noſtra poteſtate „ non eſſe, ut illæ aliter eveniant, quaſ„ dam vero ita eſſe in noſtra poteſtate, „ ut ab iis fatum ſeu determinatio certa „ abſit prorſus. „

§. XIV. Ita probare Stoïcos divinam & exiſtentiam, & providentiam, ex mundi elegantia, & rerum eventis diximus; verbum de ipſa κοσμοποιΐα addimus, finemque imponimus huic capiti. Hanc caſui, vel temere volitantium atomorum concurſui cuidam, qui tribuerunt inter nobiliores philoſophos antiquos præter Epicurum cum ſuis ex Democrito cumprimis ſapientem, nulli fuiſſe videntur. Mundi opificem & artificem ποιητὴν καὶ

τεχνίτην agnovit Plato divinum, qui & ipſe multa de λόγῳ omnia efformante. Ariſtoteles opifices mundi pariter agnoviſſe vult videri Deos, quemadmodum ipſius dictum inferre videtur Ciceroni citatum „Lib. II. de Nat. D. Præclare „ ergo Ariſtoteles: ſi eſſent, inquit, „ qui ſub terra ſemper habitaviſſent bo„ nis & illuſtribus domiciliis, quæ eſ„ ſent ornata ſignis atque picturis, in„ ſtructaque rebus his omnibus, quibus „ abundant hi qui beati putantur, nec „ tamen exiſſent unquam ſupra terram, „ accepiſſent autem fama & auditione „ eſſe quoddam numen & vim Deorum, „ deinde aliquo tempore, patefactis „ terræ faucibus, ex illis abditis ſedibus „ evadere in hæc loca quæ nos incoli„ mus, atque exire potuiſſent, quum „ repente terram & maria cœlumque vi„ diſſent, nubium magnitudinem, ven„ torumque vim cognoviſſent, aſpexiſ„ ſentque ſolem, ejuſque cum magnitu„ dinem pulchritudinemque, tum etiam „ efficientiam cognoviſſent, quod is diem „ efficeret toto cœlo luce diffuſa; quum „ autem terras nox opacaſſet, tum cœ„ lum totum cernerent aſtris diſtinctum „ & ornatum, lunæque luminum va-

„ rie-

„ rietatem, cum creſcentis tum ſene-
„ ſcentis, eorumque omnium ortus
„ & occaſus, atque in omni æternitate
„ ratos immutabileſque curſus. Hæc
„ quum viderent, profecto & eſſe Deos
„ & hæc tanta opera Deorum eſſe arbi-
„ trarentur.„ Attamen ut & ex his poſtremis intelligi poteſt, nunquam initium habuiſſe mundum contendit, ſed æternum eſſe. Idem Tullius Acad. Quæſt. Lib. IV. *Neque enim ortum eſſe mundum* (de Ariſtotele ſic ratiocinante) *unquam, quod nulla fuerit novo conſilio initio tam præclari operis incæptio: & ita eſſe eum undique aptum, ut nulla vis tantos queat motus mutationemque moliri, nulla ſenectus diuturnitate temporum exiſtere, ut hic ornatus unquam dilapſus occidat.* Atque hoc inter Platonem & Ariſtotelem fuiſſe controverſum, monet poſt alios ubi de mundi principio agit, eruditiſſimus Mornæus, de Ver. Rel. Chriſt. c. IX. agnoſcente quidem Platone mundi æternitatem, non a priori, ſed a poſteriori, ſeu *ἀθανασίαν ἐπισκευασθεῖσαν παρὰ τοῦ δημιουργοῦ*. Ab utroque diſſentiunt noſtri Stoïci. Illud Platoni concedunt, aliquando initium habuiſſe mundum, & a Deo vel Diis opificibus eſſe conſtru-

ctum, ſed penitus incorruptibilem non credunt. Quod vero Ariſtoteles, illud utrumque negavit. Et ſane non immerito, ſi etiam ex ratione ſola naturali ſapere detur. Si enim a Diis mundus ſit compoſitus, quî fit, ut mundus, qui aliquando novo Deorum conſilio produci non potuerit, aliquo conſilio potuerit produci ab æterno? ſi etiam ab æterno produci poſſibile ſit. Neque enim etiam dici debet nullo conſilio fuiſſe mundum productum, niſi Deorum ſapientia tollatur, vel agendi libertas. Noſtri ergo, mundum dixerunt conſilio Deorum initio productum eſſe & continuo gubernari, ſed tandem aliquando igne fore conſumendum, de quo vid. c. IX.

§. XV. Ipſum autem mundi opificium, nec recte deſcripſerunt Stoïci, nec quiſquam philoſophorum *ſummam de principiis* vel *natura rerum inter magnos homines diſſenſionem* eſſe videre eſt apud Cic. Acad. Quæſt. Lib. IV. *Princeps Thales unus e ſeptem*, ſic ibi, *cui ſex reliquos conſenſiſſe primos ferunt, ex aqua dixit conſtare omnia. At hoc Anaximandro populari & ſodali ſuo non perſuaſit. Is enim infirmitatem naturæ dixit eſſe, qua omnia gignerentur. Poſt ejus auditor Anaximenes*

Digitized by Google

nes infinitum aëra, ſed ea quæ ex eo orirentur definita: gigni autem terram, aquam, ignem, tum ex his omnia. Anaxagoras materiam infinitam; ſed ex ea particulas ſimiles inter ſe minutas, eas primum confuſas, poſtea in ordinem adductas mente divina. Addit præter hos Xenophanem, Parmenidem, Leucippum, & huic in hoc ſimilem Democritum, Empedoclem, Heraclitum &c. ſingulos diverſum quid opinantes. Quî enim concordes eſſe poſſent, quorum nullus rem ipſam novit aut noſſe potuit? Ideoque recte ibi dictum fuerat: *Eſtne quiſquam tanto inflatus errore, ut ſibi ſe illa ſcire perſuaſerit?* Zeno quidem Stoïcus cum Chryſippo & Archedemo, ſi quæ Laërtio fides, dixit: ſubſtantiam a Deo per aërem in aquam converſam, & hinc tanquam ex ſemine reliqua prodiiſſe; at porro, res omnis quo modo fuerit confecta, & quid egerit anima mundi vel Deorum Societas ſe ignorare non diffitebuntur Stoïci. Cæterum de materiæ æternitate ipſis cum reliquis convenit. Cui & aſſenſum præbent priſci hæreſiarchæ ex philoſophia gentili ſapientes, poſt Simonem Magum, Valentinus, Marcion, Hermogenes &c. & recen-

tioris ævi Arius, & Socini abhinc non ita pridem: quomodocunque etiam fingentes ſuſpendere ſe judicium de æternitate materiæ, hanc ſaltem ante hexaëmeron a Moſe deſcriptum jam extitiſſe concedentes; quo ſcilicet negarent facilius, verum eſſe Deum Dominum Ieſum Chriſtum etiamſi fuiſſe dicatur ante mundi initium. Sed id nos nunc non agimus. Solum illud naturæ arcanum, de creatione mundi temporis initio, rebus concreati, ex ipſius Creatoris ſummi revelatione infallibili enarrare potuit divinus Moſes. At huic, indignum facinus! hujus vel ſuperioris ævi oblocutores ſunt philoſophi, admodum profecto intempeſtive. Si non Epicureæ, at ſaltem, uti viſus eſt eruditis, Arianæ factionis hominem imprimis puto Thomam Burnetum. Non ille ſcilicet credit, omnium rerum initium repetendum eſſe a prima illa Moſi memorata creatione, abhinc annorum admodum ſex millibus, ſed multa numeranda eſſe præcedentia ſecula: Non eſſe etiam illam creationem totius univerſi, ſed hujus tantum telluris cum ambiente cœlo: Nec eſſe vere formatam ipſam tellurem brevi ſex dierum ſpatio, diuturnam enim ſolis o-

pe-

Digitized by Google

perationem requiri ad terram habitabilem reddendam. Quorſum vero Moſes hæc omnia proh pudor, inverſique mores! contra phyſicam rerum veritatem? Hebetis, credo, & ſtupidi Iſraëlitici populi ſe accommodare genio debuit, ne omnem amitteret ἀξιοπιστίαν neu tanquam fabuloſus exſibilaretur, phyſicam rerum veritatem enarrans. Qui ſic quæſo? tardi & ſtupidi ingenii populus, arcana naturæ non percipiens, credere potuit, tam ſtupendæ magnitudinis opus, 6. dierum ſpatio perfici potuiſſe? ad quod aliquot ſeculorum millia, immenſum ſibi ſupra indocilem Iſraëlem ſapere viſus expoſcit Burnetus. Quid ſi Moſes cum Wiſtono expreſſe dixiſſet, loqui ſe de ſola tellure, & per 6. dies intelligere ſex æſtates, & per 6. noctes totidem hyemes; illud quidem rudi Iſraëli, vero videretur ſimilius. Sed aliquid etiam amplius addit Burnetus. Accommodaſſe ait Moſen hanc ſuam creationis narrationem, populi Judaici conditioni, quo iſtum legi, de obſervando ſeu ſanctificando Sabbato, adſtringeret melius. Hanc vero? putabimuſne, ordine inverſo, religionis Sabbato conciliandæ gratia, accommodatam eſſe creationis

mundi enarrationem, & non potius in creationis mundi 6. dierum ſpatio confectæ memoriam inſtitutum eſſe Sabbatum, prout ſanctus Moſes fidus in domo Dei ſervus, non impoſtor, non mendax? Vel an exiſtimabimus, Moſis hoc potius eſſe figmentum, quam ipſius Dei aſſertum, in ipſius Legis ſuæ divinæ præcepto quarto? Nonne dicit expreſſe, ſex diebus Dominum Deum perfeciſſe cœlum & terram? unde iſta ergo Burneto ſapientia, aut cognitio ut ex adverſo ſex diebus cœlum & terram perfecta eſſe neget?

Quo, quo ſceleſti ruitis?

At conſulere velim Lectorem noſtrum, refutantem uberius & ſolide ſatis, impium hoc Burneti figmentum, Leideckerum.

§. XVI. Noſtri interim ſeculi Athei facile etiam concedunt, cauſam omnium efficientem eſſe Deum, conſilium vel decretum etiam dari divinum, ſeu certam & immutabilem rerum omnium ſeriem, cauſarumque, ſibimet implexarum æternum ordinem, juxta quem continuo prodeant ſingula, atque hæc omnia ſapientiſſime & optime eſſe conſtituta. Sed nil niſi naturam intelligunt, id

Digitized by Google

id eſt, mundum, & quæ mundo accidunt. Sed an hoc non eſt inſanire, ordinem, ſapientiam &c. agnoſcere, in iis quæ mundo accidunt, immutabilem prorſus, & inculpabilem, ſed neminem agnoſcere ſapientis illius, & immutabilis ordinis Autorem? Ipſum mundum ſapientem & intelligentem prædicant, ne quis dicat, ubi nulla eſt cogitatio, ibi nullum locum habere poſſe ſapientiam, ſiquidem corpus ſolummodo extenſum intelligens non ſit. At ſi quid hæc ad rem facerent, deberent cogitationis, & extenſionis, quas vocant, ſaltem diverſas naturas aſſerere, ſed rem eandem reapſe intelligunt. Deberent etiam cogitationem iſtam, non immanentem, ſed transeuntem cauſam dicere. Ne hæ omnes particulares cogitationes quæ ipſis junctim intellectum Dei conſtituunt, ex neceſſitate naturæ fluunt.

CAPUT III.

De DIVINATIONE.

§. I. COnnectenda Stoïcis Providentiæ videtur Divinatio, Latinis a Divis dicta, eadem quæ Græcis μαντικὴ,

Digitized by Google

κὴ, ἀπὸ τȣ̃ μαίνεσθαι, quia divini, maxime ubi agitur de divinatione naturali, furore quodam corripi credebantur. Intelligunt autem per divinationem, prædictionem & præſenſionem quandam rerum, quæ fortuitæ vocantur, humano generi iſtum in finem conceſſam maxime, ut hac de futuris ſeu imminentibus periculis admoniti, evitare eadem poſſent. Divinæ benignitati divinationem ita acceptam referunt.

§. II. Antiquiſſima hæc eſt Divinatio, quin idololatriæ ferme coæva, quæ ſuccedentibus ævis ſuperſtitione mirum in modum alebatur. Sic quidem, ut qui Deos eſſe credebant, nulli fere eſſent, qui Divinationem improbarent, uno excepto, uti apud Ciceronem eſt, Colophonio Xenophane. Epicurus autem ſi Divinationem non admiſerit, nemo mirabitur, qui & negare eundem omnem divinam providentiam, recordabitur. Qui poſſet enim tum ulla admitti futurorum præſenſio aut prædictio, cui omnia ſunt fortuita, nec quicquam certo determinatum quod prædicere poſſet vel homo vel Deus? Reliqui vero ad unum prope omnes, qui divinam crediderunt & exiſtentiam, & providentiam,

Digitized by Google

tiam, divinationem etiam receperunt.

§. III. Huic divinandi ſtudio qui incubuerunt, apud antiquiſſimos populos, idololatriæ maxime deditos, fuerunt non pauci; ſummò cumprimis in honore habiti Ægyptiis & Babyloniis. Dignitátem ſibi namque maximam conciliabant, dum ſecreta cum Diis jactarent & crederentur habere commercia, nec quemquam facile in ſocietatem, tanquam ſanctiſſimam, & myſteria ſua reciperent: quo effecerunt artificio ut apud Reges ipſos eſſent non tantum magni, ſed & apud populumRegis dignitati haberentur proximi, multis & magnis mactarentur privilegiis. ApudÆgyptios proprios ſuos poſſidebant agros, ne ſcilicet tenuitate hominum tanta ars vileſceret: atque etiam famis tempore, ut haberent unde viverent, nec agros ſuos divendere neceſſum haberent, ſuam ipſis Pharao portionem largiebatur Gen. XLVII. 22. Erant ex illo genere illi חרטומים apud Ægyptios & Babylonios, qui arceſſebantur ad ſomnii Pharaonis, & Nebucadnezaris expoſitionem Gen. XLI. 11. Dan. II. 2. ſic dicti Cl. Millio videntur a rerum obſcurarum & latentium, quo in loco ſomnia ſunt, indicatione. Vid. Cl. Viri

diſ-

Digitized by Google

diſſert. de his & aliis ejus generis §. III.

§. IV. Varia ſtudiorum genera hi ſapientes colebant, iis maxime invigilabant, quæ ad Theologiam & res divinas pertinebant, celebriores illi, ut antiquiores, Ægyptii; ad quos confluxiſſe narrantur Græci, quos, ante bellum Trojanum incultos fere, & tanquam latrones, incertis ſedibus vagari ſolitos fuiſſe, fide hiſtorica creditur. Exin vero ſapientiæ ſtudium ex Ægypto fuiſſe in Græciam tranſlatum, & non ſolum Pythagoram ad Ægyptios deveniſſe, & circumciſionem inter ſacerdotes Ægyptios admiſiſſe, quo ipſi ad illorum myſteria facilior pateret aditus: ſed & Platonem aliquot annis Alexandriæ habitaſſe, memoriæ proditum eſt. Proximum illis locum obtinent Divini Babyloniorum, qui ſummam crepabant obſervationum ſuarum antiquitatem, procul dubio tanto majoris ſibi fidei & honoris acquirendi gratia: *Qui* CCCCLXX. *millia annorum, ut ipſi dicunt, monumentis comprehenſa continent* Cic. Div. Lib. I.

§. V. A primis adeo nationum & regnorum initiis propemodum, cum fuerit iſtis Divinis tantum & honoris & fidei conceſſum, latius creſcente ſuperſti-

tione

tione & idololatria, divinandi hanc ſcientiam fuiſſe diffuſam, & propagatam facile quilibet intelligit. Eidemque præter Socratem & Socraticos, Academicos, Peripateticos, totamque ferme philoſophorum familiam, maxime Stoïcos faviſſe accepimus. Rem explicare copioſius ſtuduerunt, primi ſibi ſuccedentes Sectæ Stoïcæ conditores, Zeno, „ Cleanthes & Chryſippus. Cic. Div. „ I. ſed quum Stoïci omnia fere illa de- „ fenderint, quod & Zeno in ſuis com- „ mentariis quaſi ſemina quædam ſpar- „ ſiſſet, & ea Cleanthes paulo uberiora „ feciſſet; acceſſit acerrimo vir ingenio „ Chryſippus, qui totam de divinatio- „ ne duobus libris explicavit ſententiam, „ uno præterea de oraculis, uno de ſo- „ mniis: quem ſubſequens unum librum „ Babylonius Diogenes edidit, ejus au- „ ditor, duos Antipater, quinque no- „ ſter Poſidonius. „ Addubitare ſe tamen dixit, licet non omnem prorſus neget divinationem, ſed Aſtrologorum prædicta rejiciat, inter Stoïcos minime ignobilis, contra princeps Stoïcorum interdum dictus Panætius. Cujus nobiles libros memorat Horatius Carm. I. Od. XXIX.

Quum

Digitized by Google

Quum tu coëmptos undique nobiles
Libros Panætî, Socraticam & domum
Mutare loricis Iberis
Pollicitus meliora tendis?

§. VI. Divinandi vim omnem a Deo arceſſunt, a Fato, & a Natura: unde duplex oritur, quem in modum diſpeſcunt, divinatio: artificialis altera, altera naturalis: illa quidem ordinaria; hæc vero magis extraordinaria. Artificialem ad naturam & fatum referunt; naturalem ad Deum.

§. VII. Fati nomine intelligere Stoïcos, divinam futurorum ordinationem monuimus: naturæ, vim efficientem & operantem juxta divinam conſtitutionem: Unde colligere eſt quomodo a fato & natura repetant artificialem divinationem. Placet nempe Stoicis, cum æterna quædam ſibimet implexarum cauſarum conſtituta ſit ſeries, quarum alia generet continuo aliam, ut quæ fiunt tanquam in ſemine contineantur: ita & certa rerum ſigna in natura poſita eſſe, non ea tantum, quæ phyſices cognitione continentur, ſed & alia, quæ diuturna obſervatione cognoſci queant, quorum ex aſſidua contemplatione ars illis tandem exſurgit divinandi, quæ artifi-

tificioſa & opinabilis divinatio dicitur, quia nititur arte, & conjectura, ſeu conjectura in artem tranſeunte. Cic. Div. I. *Quæ ita eſt ab omni æternitate repetita, in qua cum pæne innumerabiles res eodem modo evenerint, iiſdem ſignis antegreſſis, ars eſt effecta, eadem ſæpe animadvertendo atque notando.* Et inferius: *Quæ vero aut conjectura explicantur, aut eventis animadverſa ac notata ſunt, ea genera divinandi non naturalia, ſed artificioſa dicuntur; in quo aruſpices, augures conjectoreſque numerantur.* Nolunt ergo Stoïci, omnem divinationem immediatum quaſi Deorum teſtimonium præſens ſiſtere. Iterum Cic. Div. I. *Non placet Stoïcis, ſingulis jecorum fiſſis, aut avium cantibus intereſſe Deum &c. Sed ita a principio inchoatum eſſe mundum, ut certis rebus certa ſigna præcurrerent.* Neque etiam artem divinandi infallibilem eſſe prorſus; quæ enim tandem ars illa quæ tali gaudeat privilegio? Prout tamen ars medica, ars nautica & regendæ reip. & quæ his ſimiles ſunt, artes eſſe non deſinunt, licet fallantur ſæpe qui illas profitentur; ſic neque artem divinandi deſinere eſſe artem, etiamſi ſæpe fallantur divini, quia conjectura nititur. *Ea fallit for-*

Digitized by Google

taſſe nonnunquam, ibid. *ſed tamen ſæpiſſime dirigit ad veritatem.* Ut cauſa erroris hujus ſit, rerum ipſarum & cauſarum ignoratio, illis latentium qui divini vocantur, quum plurima dari poſſint, quæ ipſos fugiant, licet multa etiam perſpecta habeant.

§. VIII. Naturalem, eamque extraordinariam magis divinationem, a Deo repetunt, divinaque admonitione ſingulari: eam autem obtingere tum vigilantibus tum ſomniantibus; ſic quidem ut divino furore correpti a Diis agitentur. Cujus furoris Vates vel Poëtæ magis minuſve credebantur participes reddi; qui inde artis ſuæ Deos Deaſve invocabant præſides; ſeu quod ſe afflari divinitus crederent re ipſa, ſeu quod hæc dignitatis tantum conciliandæ ſuis carminibus ergo, fingerent. Inter philoſophos apud Ciceronem legimus, Democritum fuiſſe, qui ſine furore poëtam quemquam magnum eſſe poſſe negabat. Attamen hunc ſerio de iſto furore fuiſſe loquutum, vix credimus, cum & ipſe nutaſſe dicatur in natura Deorum, & Epicuro fabuloſa iſta de Diis confingendi, viam præparaverit. Sed ſcilicet & ipſe Epicureus, nihilque minus quam afflatum di-

Digitized by Google

divinum credens, agitationem ejuſcemodi ſimulat Horatius Carm. II. Od. XIX.

Evœ recenti mens trepidat metu
Plenoque Bacchi pectore turbidum
Lætatur: evœ, parce Liber,
Parce, gravi metuende thyrſo.

Idem Lib. III. Od. XXV.

Quo me Bacche rapis tui
Plenum? quæ in nemora aut quos agor in ſpecus
Velox mente nova?

Ennius etiam divinos appellat Poëtas. Cic. Or. pro Archia. Credidiſſe etiam iſtiuſmodi furorem videntur Stoïci noſtri. Prout & ejuſdem plenos putaverunt, qui, vel quæ funderent Oracula. Vel hanc potius vim repetant ab anima mundi, totam agitante terram, hoc vel illo loco cum ſingulari quodam afflatu fatidicos excitante, erumpente, qui tamen ſacer afflatus ubi ceſſaverit temporis diuturnitate, ceſſare debere & ipſa Oracula, quemadmodum ad poſtremum etiam nobiliſſimum illud Delphicum. Cic. Div. I. *Dii vim ſuam longe lateque diffundunt, quam cum terræ cavernis includunt, tum hominum naturis implicant.* Incitare etiam credebant Deos, per ſomnia

mnia homines, exhortari, indicare futura, remedia ſuggererere &c. quemadmodum de Æſculapio M. Ant. Lib. v §. 8. ὁποῖόν ἐςι τὸ λεγόμενον, ὅτι συνέταξεν ὁ Ἀσκλήπιος τούτῳ ἱππασίαν, ἢ ψυχρολουσίαν, ἢ ἀνυποδησίαν &c. *Cujuſmodi illud eſt quod dicitur Æſculapius huic vel illi ordinaſſe, ut equitet, ut frigida proluatur, ut diſcalceatus incedat* &c. vid. Gatakerus. Pertinet & huc illud Plauti Curc. Act. II. Sc. II.

Hac nocte in ſomnis viſus ſum viderier,
Procul ſedere a me longe Æſculapium,
Neque eum ad me adire, neque me magni pendere
Viſu'ſt.

Hæc & quæ porro de ſomniis divinis fabulata eſt ſuperſtitio, infinita fere ſunt: poëtis illa potiſſimum inſerviebant. Cujuſmodi & illud eſt quod in opere ſuo dramatico Heliodorus, Æthiop. Lib. I. *Cum vero veniſſet in intimum templi palatium* (ita Thyamidem ſomniantem inducit, quod nomen præfecto cuidam prædonum indit), *deam obviam progreſſam, tradere ſibi in manum Chariclian, ac dicere: Thyami, hanc virginem tuæ commendo fidei: verumtamen habens non habebis, ſed iniquus eris & occides hoſpitem,*

nec

Digitized by Google

nec tamen illa occidetur. Quo deinceps varia hujus ſomnii expoſitione fabulam melius ornaret. Atque hic ab ævo mos fuit Poëtis. Nil minus ſæpius per inſomnia Deos apparere ſolitos eſſe hominibus, ſibi perſuaſerunt Stoïci.

§. IX. At & ipſi humanæ menti quandam divinandi competere facultatem docent; eo quod divinæ naturæ ſit particeps, tanquam quæ divinitus defluxerit, juxta Naſonis illud:

Eſt Deus in nobis, ſunt & commercia cœli:
Sedibus æthereis ſpiritus ille venit:

extiteritque mens, ante unionem cum corpore, Diis admodum familiaris, quæ propterea multarum rerum imbuta cognitione, ubi ſe avocaverit & corpore, optime divinare poſſit. Hinc mors cui in propinquo ſit, corpore jam languido, vinculis prope ſolutis; & ſomniantem, quieſcente corpore, vigilante & corporis negotio diſtracto melius divinare. Non autem probant Ariſtotelis illud: habere melancholicos aliquid in animis præſagiens & divinum, quia ad mentis, non corporis conſtitutionem, referenda ſit divinatio. Adhibenda vero quædam eſſe remedia, id eſt, certum ciborum & potionum delectum, qualem Plato

Digitized by Google

deſignavit, ne anima divinatura nocte inquieta turbetur. Unde & Pythagoricis interdictum putatur, ne faba veſcerentur, quod inflationem magnam is cibus haberet, tranquillitati mentis vera quærentis contrariam. Cic. Div. 1. *Quumque omnia completa ſint & referta æterno ſenſu & mente divina, neceſſe eſt cognitione divinorum animorum animos humanos commoveri. Sed vigilantes animi vitæ neceſſitatibus ſerviunt, disjuguntque ſe a ſocietate divina vinclis corporis impediti.*

§. X. Atque hæc Stoïcorum de divinatione eſt opinio, quam paucis ita exhibuimus. Singula vero divinationum genera, vel & cæremonias varias divinis adhibitas recenſere hujus quidem loci non eſt. Stoïcorum de divinatione qualis fuerit doctrina noſtrum erat ediſſerere. Atque heic monemus tantummodo, a Philoſophia Stoïca hoc dogma de divinatione alienum non eſſe; potius vero probabili ratione niti, ſi quæ de anima mundi, humanæque mentis antequam conjuncta eſſet corpori, exiſtentia, Diis admodum familiaris vera forent. Mundum credunt Deorum hominumque cauſa factum eſſe: Deos in illa efformatione propter familiaritatem vel affinitatem iſtam,

cun-

Digitized by Google

cuncta in generis humani ordinaſſe commodum: herbarum non tantum, ſed & animantium, quin omnium Dominum conſtituiſſe hominem: proclive erat cogitare, ubi pericula imminerent humano generi, Deos adeo Φιλανθρώπους de iis eſſe admonituros, tum ſignis quibuſdam ipſi naturæ inditis, diligenti obſervatione cognoſcendis: tum admonitionibus quibuſdam ſpecialibus. At hoc qualecunque etiam videri poſſet verum Deum ignoranti, ipſiuſque, ſupra hominem, manuum Dei opificium ὑπεροχὴν, nil niſi Atheiſmum redolet.

Excellentem quandam naturam animam humanam eſſe qui diffitetur, fallitur vehementer. Sed qui ipſius eſſentiæ divinæ partem hanc eſſe putat, magis fallitur; creatum & increatum, æternum & temporarium, perfectum & imperfectum, dependens & independens inter ſe confundit. Tribuendam Deo Φιλανθρωπίαν ultro largimur. Magnas ille exhibet humano generi benignitates. Sed quid ſit olim eventurum ſibi partim reſervavit; partim diverſa, a conficta illa divinatione, adeo fallaci & mendaci, utut eventu nonnunquam probabili ratione præviſo, comprobata interdum, verbi ſui divini reve-

latione indicavit. Sanctis quidem viris apparuit olim per inſomnia & viſiones, Majeſtate ſua tanquam divinas cognoſcendas: interdum etiam ſupremæ ſuæ ſublimitatis demonſtrandæ ergo, Pharaoni cuidam Ægyptio, vel Nebucadnezari Babylonio, at non prout ſervis ſuis electis. Proclive in ſuperſtitionem vulgus, naturalia quædam ſomnia ſibi perſuaſit eſſe divina, ſuperſtitioniſque Autores & Patroni Poëtæ, multa finxerunt procul dubio ſomnia divina, de quibus nos jam diximus. At pernoctantes, ad impetranda inſomnia in templo Amphiarai, Amphilochi, Æſculapii, vel alio deſtinato cuidam Idolo, loco, miſerrimum in modum decepit Spiritus nequam, transformans ſe in angelum lucis. Sed de inſomniis agentem commendamus CL. Witſium Miſc. Sacr. Lib. I. c. v. & quos ille, Rivetum & Spanhemium. Nos populo Dei, omnem hariolorum, & augurum, & quorumcunque divinorum conſultationem, ipſamque, tanquam gloriæ ſummi, ſed & ſolius Creatoris contrariam divinationem, optimo jure, ſeveriſſime fuiſſe interdictam, dixiſſe contenti ſumus. At ſeculi hujus Athei ſuperſtitionem hanc potius quam impietatem

Digitized by Google

tem dicerent, quia ſeries illa æterna cauſarum multa involvat imperſcrutabilia, quæ fruſtra inveſtigare homo conaretur: negant enim ſe Dei ſui, adeoque & operum ipſius, id eſt mundi, & quæ mundo accidunt, penitus perſpexiſſe naturam. Sed ineptam hanc eſſe cauſarum æternam ſeriem, nullo diſponente, & nos indicavimus capite ſuperiori.

CAPUT IV.
De OFFICIO HOMINIS ERGA DEUM, DEQUE PRÆSENTI SECULO ET FUTURO.

§. I. MAgnam intercedere Diis cum genere humano conſuetudinem docere Stoïcos, liquet ex iis, quæ de origine & natura diximus humanæ mentis, & creatione mundi, ejuſdemque gubernatione in hominum commodum. Ideo ejuſdem divinæ naturæ participes eſſe Deos credunt & homines; mundumque communem quandam, uti diximus, Deorum atque hominum civitatem, juxta Cic. illud: *Eſt enim mundus, quaſi communis Deorum atque hominum domus, aut urbs utrorumque; ſoli enim ratione utentes jure ac lege vivunt. Ut*

igitur Athenas, & Lacedæmonem, Athenienſium Lacedæmoniorumque cauſa putandum eſt conditas eſſe, omniaque quæ ſint in his urbibus, eorum populorum recte eſſe dicuntur, ſic quæ ſunt in omni mundo Deorum atque hominum putanda ſunt. Congruum eſt ut dicamus, quid ſit civium magnæ hujus urbis Mundi, erga Deos, tanquam Principes ſuos, & reip. gubernatores officium.

§. II. Non oritur autem hæc communis vel ſocietas vel affinitas, ex impudico Deorum cum hominibus congreſſu, qualem nefandam theogoniam confinxerunt, tegendorum vitiorum gratia Poëtæ, nimiam ſibi licentiam arripientes. Damnant omnino Stoïci omnia illa Diis, furta & ſtupra affícta. Non hominem, multo minus Deum cum aliqua conſueſcere decet. Optime Seneca de vit. beata c. XXVI. *Quorum alius illi* (Jovi) *alas impoſuit, alius cornua: alius adulterum illum induxit & abnoctantem: alius ſævum in Deos, alius iniquum in homines: alius raptorem ingenuorum, corruptoremque, & cognatorum quidem &c. Quibus nihil aliud actum eſt, quam ut pudor hominibus peccandi demeretur, ſi tales Deos crediidiſſent.* Nempe non Jovem ſolum, in Amphitruonis for-

formam converſum, decepiſſe Alcumenam, fingendi libertatem habet Plautus, in Amphit. Sed & Acriſium, vel ejus filiam quam ille aſſervabat in carcerem, quia ab eo qui filia natus eſſet, ipſi mortem imminere, nunciarat oraculum in aureum imbrem converſum, licuit aliis dicere. De eo ſic Horatius Carm. Lib. III. Od. XVI.

Incluſam Danaën turris ahenea,
Robuſtæque fores, & vigilum canum
Triſtes excubiæ munierant ſatis
Nocturnis ab adulteris:
Si non Acriſium, virginis abditæ
Cuſtodem pavidum, Jupiter & Venus
Riſiſſent: fore enim tutum iter & patens,
Converſo in pretium Deo.

Sed quid hoc: nempe quod iterum Seneca, de brev. vitæ c. XVII. *Quid aliud eſt incendere vitia, quam autores illis inſcribere Deos, & dare morbo exemplo Divinitatis excuſatam licentiam*: Exemplum ad manum eſt: Chærea adoleſcens, hac Jovis & Danaës pictura conſpecta, vitium committit; & quidem lubens. Ita Terentius in Eun. Act. III. Sc. V.

. . . Dum apparatur, virgo in conclavi ſedet,
Suſpectans tabulam quandam pictam, ubi inerat pictura hæc: Jovem

Quo

Digitized by Google

Quo pacto Danaæ miſiſſe ajunt quondam in gremium imbrem aureum.

Egomet quoque id ſpectare cæpi. Et quia conſimilem luſerat

Jam olim ille ludum, impendio magis animu' gaudebat mihi,

Deum ſeſe in hominem convertiſſe, atque per alienas tegulas

Veniſſe clanculum per impluvium, fucum factum mulieri.

At quem Deum? Qui templa cœli ſumma ſonitu concutit.

Ego homuncio hoc, non facerem?

Ad hos quidem Alexandrinus Clemens in Protrept.

Hæ ſunt Theologiæ probri & petulantiæ plenæ. Hæ ſunt doctrinæ Deorum qui una vobiſcum fornicantur.

Stoïcos noſtros, qui ineptias Epicuri indignabantur, de conficta illa ſed indecora Deorum beatitate hæc Poëtarum commenta de Deorum ſtupris & adulteriis prorſus damnare decebat. Magis decora docent de Diis, non illis peccandi licentiam ſuo exemplo dantibus, pretioſis dedecorum emptoribus. Alia longe præbere agendæ vitæ mortalibus Deos immortales aſſerunt exempla.

Prin-

Digitized by Google

Principes & gubernatores reipublicæ ajunt eſſe Deos, ſed juſtos & ſanctos, quibus unum opus ſit, juſtitiam colere & decorum, eamque & hominibus ſummam commendaſſe legem, qua Diis ipſis fieri poſſint proximi & familiares, & ſe ipſos reddere felices. In id itaque homini incumbendum ut Deorum exempla & vitam imitetur juxta antiquum illud, ſeu Platonicum ſeu Pythagoricum, antiquum ſane: *τὸ ἕπεσθαι τῷ θεῷ Deum ſequi.* Prout & M. Ant. Lib. VII. §. 31. *ἀκολούθησον θεῷ Deum ſequere.* & Lib. X. § 11. injungit *εὐθεῖαν περαίνοντι ἕπεσθαι τῷ θεῷ.* Id enim eſſe decens, cum, quæ agant Dii, eſſe non poſſint, niſi recta & decora. Porro cum benevolentiſſimi ſint in homines Dii, atque hi tanti Principes tantam rerum humanarum, & civium ſuorum gerant curam, hominis eſſe officium ducunt, Diis Principibus ſuis, jubentibus, & ſuadentibus prompte obedire. Neque facta Deorum vel agendi mores eſſe exquirendos; neque de adverſitatibus conquerendum; cum ordinationi vel gubernationi divinæ ſemper ſit acquieſcendum, quæ non poſſit non eſſe optima, licet quilibet rationem omnem rerum perſpectam non habeat. Neque

que enim quod reip. utilitati contrarium eſſet, effecturos fuiſſe Deos. Ideoque M. Ant. Lib. VIII. 23. συμβαίνει τί μοι; ἐπὶ τοὺς θεοὺς ἀναφέρων καὶ τὴν πάντων πηγὴν ἀφ᾽ ἧς πάντα τὰ γινόμενα συμμηρύεται. *Contingit mihi quicquam? ita excipio, ut referam ad Deos, fontemque rerum omnium, a quo quæcunque fiunt, ordine præſtituto derivantur:* Et Lib. x §. 1. πάντα σοι ἐνέχει, καὶ παρὰ θεῶν πάρεστι, καὶ ἐνέξει ὅσα φίλον αὐτοῖς, καὶ ὅσα μέλλουσι δώσειν. *Cuncta tibi adſunt, cuncta tibi bene ſe habent; ſed & a Diis proveniunt, beneque ſe habitura ſunt, quæcunque ipſis concedere viſum eſt, & quæcunque ſunt conceſſuri.* Cum, uti dictum, nihil conſtituiſſe Deos credi debeat, quod civibus ſit nociturum vel reip. Idem §. 33. Lib. x. ὅλως δὲ μέμνησο, ὅτι τὸν φύσει πολίτην οὐδὲν βλάπτει, ὃ νόμον οὐ βλάπτει &c. *In ſumma, memineris, civem indigenam nihil lædere, ni civitatem lædat; civitatem nihil lædere, ni legem lædat. Horum autem quæ infortunia dicimus, nihil legem lædit, quod autem legem non lædit, nec civitatem nec civem læſerit.* Fugitivum hinc dicunt illum qui ſibi conſtituta excipere metuit: Iterum Antoninus: Φυγὰς ὁ φεύγων τὸν πολιτικὸν λόγον. *Profugus, qui rationem civi-*

civilem fugit. Lib. IV. §. 29. Et hujuſcemodi hominem immorigero, & legibus civilibus civi reluctanti ſimilem non modo dicit, ſed porcello, ubi mactatur, calcitranti Lib. X. §. 28. Tandem Lib. X. §. 25 ὁ τὸν κύριον φεύγων, δραπέτης. κύριος δ' ὁ νόμος καὶ ὁ παρανομῶν, δραπέτης. ἅμα καὶ ὁ λυπούμενος, ἢ ὀργιζόμενος, ἢ φοβούμενος, ὅτι ὃ βούλεταί τι γεγονέναι, ἢ γίνεσθαι, ἢ γενέσθαι, τῶν ὑπὸ τοῦ τὰ πάντα διοικοῦντος τεταγμένων, ὅς ἐστι νόμος, νέμων, ὅσα ἑκάστῳ ἐπιβάλλει· ὁ ἄρα φοβούμενος, ἢ λυπούμενος, ἢ ὀργιζόμενος δραπέτης. *Qui dominum fugit fugitivus eſt. Dominus autem eſt lex. ergo qui legem transgreditur, fugitivus eſt; idem eſt & qui ideo angitur, vel iraſcitur, vel metuit, quod ſecus quam ipſe velit, aut factum ſit, aut fiat, aut futurum ſit eorum quicquam, quæ ab univerſi rectore ſunt conſtituta, qui eſt ipſe lex, unicuique quod ſuum eſt tribuens. Qui ergo metuit, vel angitur, vel iraſcitur, fugitivus eſt.* Si tamen quæreret aliquis, cur dura iſta evenire debeant potius viris bonis & piis, quemadmodum contingit ut plurimum? reſponſio noſtris eſt in promptu: optimi hi ſunt milites, qui ſuperent fortunam. Sen. de prov. c. IV. *Dux lectiſſimos mittit, qui nocturnis hoſtes aggre-*

aggrediantur inſidiis, aut explorent iter, aut præſidium loco dejiciant. Nemo eorum qui exeunt dicit, male de me Imperator meruit, ſed bene judicavit. Idem dicant quicunque jubentur pati timidis ignaviſque flebilia. Prout & Plato, vid. M. Ant. Lib. VII. §. 45. Οὕτω γὰρ ἔχει . . οὗ ἄν τις αὑτὸν τάξῃ ἡγησάμενος βέλτιστον εἶναι, ἢ ὑπ' ἄρχοντος ταχθῇ, ἐνταῦθα δεῖ . . μένοντα κινδυνεύειν, μηδὲν ὑπολογιζόμενον, μήτε θάνατον, μήτε ἄλλο μηδὲν πρὸ τοῦ αἰσχροῦ. *Ita ſe res habet; quocunque loco ſe ipſum quis collocaverit, ſtatum eum ſibi optimum ducens, aut a principe fuerit collocatus, eum hunc tueri oportet, etiamſi cum diſcrimine conjunctum id ſit, nec ullius rei cujuſquam, ne mortis quidem præ eo quod eſt turpe, rationem habere.* Contra ac ſolent plerumque homines, ſuam querentes, alienam laudantes ſortem. Quo ſpectat Horatii illud. Serm. Lib. I. Sat. I.

Qui fit, Mæcenas, ut nemo quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu fors objecerit, illa
Contentus vivat, laudet diverſa ſequentes?
O fortunati mercatores gravis annis
Miles ait multo jam fractus membra labore.

Con-

Contra Mercator, navim jactantibus Auſtris
Militia eſt potior, &c.

§. III. Porro cum præcellens Deorum majeſtas ſuper omnem humanam dignitatem deſcendat, æquum eſſe exiſtimant Stoïci, ut quovis civili major honos ipſis deferatur, cultuſque non fucatus, ſed ſincerus: tum, quod hypocriſis omnis vitioſa ſit & damnoſa; tum quod Diis pateant cogitata cordis, quos fallere nequeas; prout &, *cum taciti optant quid aut vovent homines, non dubitant quin illud Dii exaudiant*; uti apud Cic. eſt Div. 1. Debere adeo cultum Deorum, ſeu religionem, omnis eſſe ſuperſtitionis expertem, juxta ipſorum Deorum voluntatem. Sit ergo ex Antonini præſcripto homo θεοσεβὴς χωρὶς δεισιδαιμονίας. *Pius ſine ſuperſtitione*; nempe quæ vera piaque ſinceritate privata eſt, quem fere in modum Cicero Or. pro A. Cluentio: *Neque intelligit pietate, & religione, & juſtis precibus, Deorum mentes, non contaminata ſuperſtitione, neque ad ſcelus perficiendum cæſis hoſtiis poſſe placari.*

§. IV. Eandem denique ob cauſam, & quam rerum humanarum crediderunt

curam gerere Deos, decens eſſe, ut in omnibus agendis opem divinam homo impleret, judicant Stoïci: juxta Arati illud: ἐκ Διὸς ἀρχώμεϑα. quemadmodum Poëtæ ſolebant & Oratores. Expreſſe Antoninus Lib. VI. §. 23. ἐφ' ἅπασι θεοὺς ἐπικαλοῦ. *In omnibus Deos invocato.* Seque & ſua omnia divinæ providentiæ tranquille debere tradere docent hominem, etiam in ipſa morte, quia nec mors, nec quicquam aliud mali aliquid ſit homini allaturum; ſi enim, Deos aliter diſpoſituros fuiſſe. Imo vero, mortem in bonis potius habendam, quam in malis; mortem nemini nocere, ſed adverſitatum omnium finem facere. Hinc divina benignitate conceſſam αὐτοφονίαν, tanquam rem licitam, & laudabilem, ex opinione Stoïcorum ſupra diximus.

§. VI. Enimvero hîc errare incipiunt noſtri Stoïci. Figmenta quidem eſſe credunt, quæ Poëtæ de Cerbero, Styge aliiſque Diis, vel imaginibus infernis. Sen. Conſ. ad Marc. c. XIX. *Illa quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula eſt. Nullas ſcimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem . . Luſerunt iſta poëtæ.* Sit hoc etiam ita. Sed quid ultra? Sic con-

Digitized by Google

concludunt: mortuos non eſſe infelices, quia nulli ſint: vel ſi ſint, beatos eſſe, quia anima ſit recepta in ſortem beatorum. Cic. Tuſc. Quæſt. Lib. I. *Quo modo autem, aut cur mortem malum tibi videri dicis, quæ aut beatos nos efficiet, animis manentibus, aut non miſeros, ſenſu carentes?* Seneca pariter, dicto modo cap. XIX. de Conſ. ad Marciam: *Mors nec bonum nec malum eſt. Id enim poteſt aut bonum aut malum eſſe, quod aliquid eſt, quod vero ipſum nihil eſt, & omnia in nihilum redigit, nulli nos fortunæ tradit: mala enim bonaque circa aliquam verſantur materiam.* At ſic quidem de futura animæ beatitate, tanquam certe in ſuperas ſedes recipiendæ, juſto liberius pronunciant. Animam quidem ignis ætherei, vel animæ mundi particulam crediderunt, quam phyſica ratione altum petere ſic concludebant; uti contra illuc corpora ferri non poſſe: quod Chriſtianis objicere ſolere gentes mortuorum reſurrectionem & ſublationem in cœlum credentibus, Auguſtinus memorat de Civ. Dei Lib. XIII. c. XVIII. Sed hæc tota ratio neutrum evincit. Non poſſe infelicem adire ſortem diſcedentem e corpore animam, ſic nulla certa ratio-

ne colligi poteſt. Triſtiſſima ipſorum damnatorum fata ratiocinii iſtius falſitatem eheu! æterno infelicium exitio poſt mortem comprobant. Nec beandorum aliquando ſuperis ſedibus corporum arcebit gravitas.

§. VI. At uberiorem paulo diſquiſitionem meretur hæc de ſtatu futuro hominis, opinio. Ea autem maximam partem a dogmate, de animæ natura dependet. Diſputaſſe ab omni ævo multis Philoſophos, de anima an ſit, quid ſit, ubi ſit: ubivis fere videre eſt; etiam apud Cic. Tuſc. Q. Lib. 1. mirum adeo videri non poteſt, cum, dum vivit homo, de animæ natura tam diverſa diſputaverint ſapientes ſi etiam ubi mortuus eſt homo, quid animæ accidat non una omnibus fuerit opinio. Plurimi corpoream habuerunt animam at ſubtilis materiæ, vulgo igneam. Atque hi, altero alteri elemento prædominante, interire poſſe animam crediderunt; quales qui animas aquis ſubmerſorum extingui atque interire putaverunt. Pertinet huc Ovid. illud 1. Triſt. El. 2.

Non lethum timeo, genus eſt miſerabile
lethi;
Demite naufragium, mors mihi munus
erit.

Re-

Refert huc etiam Doct. Lomejerus de Luſt. Gent. c. XXIX. Callimachi illud Epigr. 19.

Νάξιος οὐκ ἐπὶ γῆς ἔθανεν Λύκος, ἀλλ' ἐνὶ πόντῳ

Ναῦν ἅμα καὶ ψυχὴν εἶδεν ἀπολλυμένην.

(Attamen ibi ex opinione ſua loqui Callimachum, de mortalitate animarum, annotavit Anna Fabri: *Credo*, ait, *ſui memorem hoc ſcripſiſſe, nam, ut jam dixi, animorum immortalitatem oppugnat.* Non habita adeo quidem aquarum, animam extinguentium, ratione, cum interire ſemper cum corpore animam crediderit. Reſpicere adeo puto Annam Fabri ad Epig. XIV. ubi ad verbum ἀπολώμεθα erudita illa; *omnino periimus*; οὐ κατὰ τὸ σῶμα μόνον ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν ψυχήν. vid. & quæ Epig. XI.

Alii animam dixerunt immortalem; horum primus fertur fuiſſe Pherecydes Syrus. Alii incorpoream quidem, attamen aliquid corporei admiſcent; ſic ut deſtinguant duo corpora, alterum θνητὸν mortale, alterum vero ψυχικὸν, ipſi animæ συμφυὲς; Sic quidem ut anima, licet ipſa non ſit corporea, non tamen ſit ſine corpore; quod corpus ſit tanquam leve animæ, vehiculum quod di-

Digitized by Google

rigi debeat ab anima, ſeu parte principali, munere fungente aurigæ, qui tamen, ubi prædominantur affectus, in tranſverſum agatur, prout

. . . *fruſtra retinacula tendens*
Fertur equis auriga nec audit currus habenas.

Rectius Chryſoſt. de anima, corporis membra dirigente. „ Nam membra „ noſtra, utpote utilia ad facienda bo„ na condita ſunt a Domino, & gu„ bernari poſſunt ab incorporea ſubſtan„ tia, de anima loquor. Poſtquam au„ tem hæc negligens eſſe, & habenas „ laxare cæperit, quaſi auriga neſciens „ indomitorum equorum ferociam com„ peſcere permiſſis frenis, & equos cur„ rum *trahentes*, *& ſe ipſum in præceps* „ *ire facit.* „ In Gen. c. VI. Hom. XXII.

Platonicorum alii partem animæ ſuperiorem, alii totam animam immortalem habuerunt; Aliique horum animam a Deo eſſe docuerunt; alii ab anima mundi. Ad hos ſe propius applicant Stoïci animam ſcilicet divinæ dicunt eſſe naturæ conſortem, ſeu particulam auræ divinæ, id eſt, animæ mundi, vid. quæ ad cap. de Div. §. 6. Atque prout illa eſt quaſi

Digitized by Google

quaſi pars quædam abſciſſa ab anima mundi, in corpus miſſa, ita & eandem eo redire unde venerat, ubi corpus diſſolvatur. Sic quidem ſuperſtitem credunt manere animam, redeunte corpore in pulverem; attamen non hanc, ſi Ciceroni fides, omnino immortalem dicunt. Ille Tuſc. Quæſt. L. I. *Stoïci autem uſuram nobis largiuntur tanquam cornicibus diu manſuros ajunt animos, ſemper negant.* Non illud videtur intelligi de anima, quam dicunt eſſe exhalationem in auras, quatenus a mente ſeu parte principali diſtinguitur, ſed de mente ipſa, redeunte ad mundi animam, a qua deſumpta erat. Neque hoc a philoſophia eſt Stoïca alienum; animam mundi, hic illic, temporis diuturnitate, vim ſuam tandem aliquando amittere, ex Stoïcorum opinione diximus, dicto §. 6. cap. III. de Div. nil mirum ergo etiam, ſi ſpiritus humanos perire tandem opinentur.

§. VII. Diſtinctius etiam dicamus. Differunt apud Stoïcos hæc tria: τὸ σῶμα, ἡ ψυχὴ, quam & πνεῦμα vocant, & τὸ ἡγεμονικὸν, alias νοῦς. Quid ipſis σῶμα ſit, per ſe patet, craſſum ſcilicet & mortale corpus, quod diſſolvitur. Nomine ψυχῆς ipſis venit flatus, ſeu exha-

latio agitans & ſuſtinens vitam animalem. M. Ant. L. II. § 2 θέασαι δὲ καὶ τὸ πνεῦμα ὁποῖόν τι ἐστὶν ἄνεμος; ſic vitam tale quid eſſe ait, οἷον ἡ ἀφ' αἵματος ἀναθυμίασις καὶ ἡ ἐκ τοῦ ἀέρος ἀνάπνευσις. *quaſi exhalatio quædam a ſanguine orta, & ab aëre Spiritus attractio* L. VI. § 15. At ὁ νοῦς, ſeu τὸ ἡγεμονικὸν Stoïcis eſt mens rationalis, ſeu pars principalis, cujus ſit ratiocinari, & imperium exercere. Ita diſtinguit citato loco Lib. II. §. 2. ὅτι ποτε τοῦτό εἰμι, σαρκία ἐστὶ καὶ πνευμάτιον καὶ τὸ ἡγεμονικόν. Item Lib. III. §. 16. Σῶμα, ψυχή, νοῦς. σώματος αἰσθήσεις, ψυχῆς ὁρμαί, νοῦ δόγματα.

Ad rogatum quid homini in morte accidat ex mente Stoïcorum, hinc ita reſpondendum erit: Corpus vel carnem eſſe diſſolvendam; animam in auras evolaturam, ſeu diſſipandam; mentem vero ſeu partem rationalem recipi in rationem ſeminalem, uti de anima mundi loquitur Antoninus; ſic ille: Ἐνυπέστης ὡς μέρος. ἐναφανισθήσῃ τῷ γεννήσαντι. μᾶλλον δὲ ἀναληφθήσῃ εἰς τὸν λόγον αὐτοῦ τὸν σπερματικὸν κατὰ μεταβολήν. *Tanquam pars univerſi hujus extitiſti, in id quod produxit te, evaneſces vel potius, mutatione quadam interveniente, in rationem*

Digitized by Google

nem ſeminalem recipieris Lib. IV. §. 14.

§. VIII. His rite perpenſis, obſcurum amplius eſſe non poteſt, quo ſenſu mortuos eſſe nullos pronuntient Stoïci, atque hactenus nec felices nec infelices. Vel ſi ſint, felices eſſe, quatenus ſcilicet mentes recipiuntur in rationem ſeminalem unde deſumptæ erant, jam per mortem, corporis ſolutæ vinculis: Dum porro Cerberum, flumina flagrantia igne, reliquaque inferni terriculamenta meras habent fabulas Poëtarum. At & ipſe ex Poëtis ſatis antiquus, & nobilis Callimachus Epig. XIV.

Ω Χαρίδα, τί τὰ νέρθε; πολὺ σκότος. αἱ δ᾽ ἄνοδοι τί;
Ψεῦδος. ὁ δὲ πλούτων; μῦθος. ἀπολώμεθα.

O Charida, quidnam eſt infra? Tenebræ. Reditus quid?
Nugæ. Quid Pluto? Fabula: concidimus.

De mortuorum autem reſurrectione dubitanter vulgo loquuntur, ſed in ſententiam tamen negantem videntur fuiſſe procliviores. Ita M. Ant. *Qui fit, ut Dii, qui parate, ac cum ſingulari erga genus humanum amore, diſpoſuerunt univerſa; hoc unum neglexerint, curare nempe, ne homines, boni cumprimis . . . ubi ſemel de-*

functi ſunt, non exiſterent amplius, ſed omnino extinguerentur. Hoc vero ſiquidem ſic ſe habet, pro certo ſcias, aliter facturos eos fuiſſe, ſi aliter fieri oporteret. Si enim juſtum erat, & fieri poterat, & ſi juxta naturam, id natura protuliſſet. Sic autem pergit: ἐκ δὴ τοῦ μὴ οὕτως ἔχειν, NB. εἴπερ οὐχ οὕτως ἔχει πιστούσθω σοι τὸ μὴ δεῆσαι οὕτω γίνεσθαι. *vel hinc ergo, qvod aliter ſe habet, ſi ſaltem aliter ſe habet, compertum habeto, non oportuiſſe fieri.* Lib. XII. §. 5. Athenienſes etiam illi Stoïci, Act. XVII. 18. 19. cum Epicureis pariter reſtitiſſe videntur Paulo Apoſtolo, reſurrectionem prædicanti mortuorum. Pedem ſed promoviſſe aliquibus videtur Seneca, & omnino credidiſſe mortuorum reſurrectionem. Singulare certe aliquod eſt hujus Philoſophi dictum, quod in rem adfert Doct. Mornæus de Ver. Rel. Chriſt. c. XV. *Mors*, ſic Seneca, *interrumpit vitam, non eripit, veniet iterum, qui nos in lucem reponat dies.* De futura fortean mundi renovatione aliquid inaudivit, unde conjecerit in integrum aliquando reſtituendum eſſe humanum genus novis iterum mentibus ab anima mundi prodituris, poſtquam omnia igne purgata fuerint.

rint. Quicquid ſit, crediderunt certe conflagraturum aliquando hunc mundum Stoïci Cic. Acad. Quæſt. L. IV. *Erit enim perſuaſum, etiam ſolem, lunam, ſtellas omnes, terram, mare, Deos eſſe, quod quædam animalis intelligentia per omnia ea penetret & tranſeat: fore tamen aliquando ut omnis hic mundus ardore deflagret.* Ejuſque cauſam ſe etiam naturalem reperiſſe putabant de qua ita Cic. Nat. D. L. II. „Sunt autem ſtellæ naturæ flam-
„ meæ; quocirca terræ, maris, aqua-
„ rum vaporibus, aluntur his, qui a
„ ſole ex agris tepefactis, & ex aquis
„ excitantur, quibus altæ renovatæque
„ ſtellæ, atque omnis æther refundunt
„ eadem, & rurſum trahunt indidem,
„ nihil ut fere intereat, aut admodum
„ parvum, quod aſtrorum, ignis, & æ-
„ theris flamma conſumat. Ex quo e-
„ venturum noſtri putant id, de quo Pa-
„ nætium addubitare dicebant; ut ad
„ extremum omnis mundus ignesceret,
„ quum humore conſumpto, neque ter-
„ ra ali poſſet neque remearet aër, cu-
„ jus ortus aqua omni exhauſta, eſſe
„ non poſſet, ita relinqui nihil præter
„ ignem, a quo rurſum animante, a Deo
„ renovatio fieret, atque idem ornatus
„ oriretur. Mit-

Digitized by Google

Mitto Ovidium, Lucanum, Sophoclem huc reſpicientes in carminibus ſuis, Lomejero citatos, de Luſt. Vet. Gent. c. XIX. Atque an hanc opinionem habuerint Stoïci ex inventa, quam jam diximus, ratione phyſica, an ex alia traditione primum ad ipſos deveniſſe judicandum ſit, mea non adeo refert.

§. IX. Verum ubi hunc, quem de ſpiritu, ſeu mente conceptum Stoïci favent, ediſſero, ſubit mihi Eruditorum, quam hîc illic reperi de Stoïcorum opinione, de animarum Origine, theſis; quod duplicem ſtatuant Stoïci animarum ortum, bonarum bonum, malarum malum. Ita Theologus ſolidus & ſapiens & copioſus: *Alii animæ eſſentiam ex ipſius Dei eſſentia, bonam ex boni, malam ex mali volunt oriundam, veluti e materia. Sic olim Stoïci, Manichæi, Priſcillianiſtæ.* Verum eſt equidem, mali originem aliquando a materia repetunt, quam artifex mutare non poſſit; ſed an animas etiam ab origine malas, e materia vel alio quovis malo principio ortas ſtatuant, nondum mihi compertum eſt. Communiter animæ rationalis originem referre Stoïcos ad animam mundi, atque eatenus ad bonum principium, nos jam diximus;

mus; attamen & animam ſui ipſius Dominam malitiæ. Sibi porro ſuæ, vel bonitatis cauſam exiſtere. Id puto Antoninum velle, ubi hominem revocat ab apparatu externo, animamque ſuam ut curet admonet, eo quod virtute, id eſt, bono delectetur Deus, a quo anima dimanavit, adeoque bona, cum Deus ſit optimus: Lib. XII. 2. ὁ Θεὸς πάντα τὰ ἡγεμονικὰ, γυμνὰ τ̃ ὑλικῶν ἀγγείων καὶ φλοιῶν καὶ καθαρμάτων ὁρᾷ. μόνῳ γὰρ τῷ ἑαυτ̃ νοερῷ μόνων ἅπτεται τ̃ ἐξ ἑαυτ̃ εἰς ταῦτα ἐῤῥυηκότων καὶ ἀπωχετευμένων. *Deus omnes mentes, vaſis his corporeis, & corticibus, & ſordibus denudatas intuetur. Sola enim mente ſua, illas a ſeſe dimanantes & derivatas attingit.* Nec reperi adhucdum diſſimile exemplum, ubi malum animæ, i. e. τῷ ἡγεμονικῷ quod vocant τὸ θεῖον ἐν ἀνθρώπῳ ortum tribuant.

§. X. Sed e diverticulo in viam. Decens eſt, quam præcipiunt Stoïci, ſui ſuorumque Divinæ Providentiæ ſubjectio: At ſi quæ de futuris olim fatis poſt mortem, adjiciantur, ſolida omni, tantis in ærumnis, conſolatione homo privabitur, hæcce ſequutus. Non futuros mortuos infelices, nulla certa vel evidenti ratione docere potuerunt. Si enim

enim ambigere ſaltem debuerint de mortuorum reſurrectione, quando vindictam ſumeret Deus de male geſtis, quotuſquiſque tandem, qui conſcientia bene actæ vitæ ſecurus, beatam ſibi promittere vitam poſſet? Spe quadam beatæ receptionis in commune animarum receptaculum, alere potuerunt animos, ſed quis ille, qui non & hujus contrarium aliquando verum eſſe poſſe, ipſas potius reddere certiores? Ubinam ergo beatæ illius vitæ expectatio, cujus intuitu patienter tantas vitæ moleſtias homo tamdiu pertulit? Scilicet melius quid de populo ſuo prævidebat Dominus Deus. Fides in Filium Dei Redemptorem certam facit beatæ vitæ exſpectationem. Spes hæc non eſt vana, ſed firmiſſima, promiſſis Dei fallere neſcii inædificata, ſpes adeo quæ non pudefacit.

§. XI. Stoïcos hinc cernimus veri Dei cognitione deſtitutos Atheïſmi reos eſſe: nonnulla tamen quæ natura ipſis ſuggeſſit, docuerunt. Quanto igitur illorum deteſtabilius eſt inſtitutum, qui ipſum naturæ lumen extinguere ſtudentes, divinam inſuper revelationem ridentes, omnem numinis reverentiam ex corde expellunt?

Stoï-

Digitized by Google

Stoïci noſtri decenter de Deo ſentiendum & loquendum eſſe volunt; verecundè cum Deo verſandum; opem divinam eſſe implorandam, beneficiis ipſius referendam eſſe gratiam. Sed quid hi? Vere nihil horum. Nullum Deum agnoſcunt, præter mundum, omnia æterna habent, ſeu ex ordine æterno, nulla ratione divina diſponente, aut dirigente fluentia: nullum itaque Creatoris ſui beneficium agnoſcunt, ingratiſſimi quique.

Stoïci naturam divinam honore ſincero, & integro corde, ob ipſius ὑπεροχὴν, majeſtatem, & divinum imperium colendas eſſe volunt. Sed hi nullam naturam divinam, rebus omnibus ſeu mundo præſtantiorem, agnoſcunt, ejus etiam nullum imperium. Natura illis Deus, & mundi rector, rerum neceſſitas. Quæque porro de cœlo, beata vel æterna vita docentur, fabulæ ipſis ſunt. Inſulſa quidem illa eſt Stoïcorum opinio, de animabus ab anima mundi decerptis, & in rationem illam ſeminalem recipiendis: ſed quanto inſulſius illud eſt figmentum, animas ſingulares ipſum Deum intelligentem eſſe, nec præter eum eſſe alium, non ergo etiam colendum?

dum? Quid ergo de religione ipſa? nempe quod Epicureis ſeu Atheis convenit, quod apud Ciceronem Lib. II. Div. *Retinetur autem & ad opinionem vulgi, & ad magnas utilitates reip., mos, religio, diſciplina &c.* Non poterant majora hominum monſtra gentilibus videri, cœlum qui crediti ſunt oppugnaſſe telluris juvenes, atque hi ingrati, rebelles, blaſphemi. An vero hæc talia dicentes Stoïci ſatis ſibi conſtent, cap. VI. indicabitur.

CAPUT V.

DE OFFICIO HOMINIS ERGA PROXIMUM.

§. I. SI mutua quadam conſociatione conjunctos, ex opinione Stoïcorum, cum hominibus eſſe Deos; homineſque tanquam magnæ civitatis aut reip. cives, quibuſdam divinitus conſtitutis legibus teneri, modo fuit viſum. Mutua ſocietate & hos inter ſe devinctos eſſe debere cives, ſponte videtur ſequi, tanquam in mutuum commodum ad mutuam vitæ, virium, bonorumque conſervationem conditos; ejuſdem cum ſint non tantum ſanguinis, ſed animæ ſuperne delapſæ

Digitized by Google

lapſæ participes. Sic Stoïci. M. Ant. Lib. II. §. I. ὐχὶ αἵματος ἢ σπέρματος τῦ αὐτῦ, ἀλλὰ νῦ καὶ θείας ἀπομοίρας μέτοχος. *Non ſanguinis aut ſeminis tantum ejuſdem, ſed mentis & divinæ portionis particeps.* Ecquid æquum eſt magis, quam ut hi ſibi mutuo veniant ſubſidio, qui ad eundem finem, univerſi puta & reip. emolumentum, divinitus ſunt deſtinati? principem obtinere locum honorem in Deos, de quo jam diximus, noſtri volunt, alterum ab illo curam proximi M. Ant. Lib. VI. §. 30. αἰδῦ θεὺς, σῶζε ἀνθρώπυς, βραχὺς ὁ βίος. *Verere Deos, ſerva homines, brevis vita eſt.* Quippe οἱ ἄνθρωποι γεγόνασι ἀλλήλων ἕνεκεν. *Propter ſe invicem facti ſunt homines.* M. Ant. Lib. VIII. §. 59. Quemadmodum igitur humani corporis membra colligata ſunt arctiſſime, & ſuorummet auxilio indigent, ita & reip. cives:

Ἀνὴρ γὰρ ἄνδρα, καὶ πόλις σώζει πόλιν
Χεὶρ χεῖρα νίπτει, δάκτυλός τε δάκτυλον.

Et quemadmodum pietate delectantur Dii ſincera, cultumque exigunt minime fucatum, ita & amorem civium mutuum, ſincerum mandarunt: οἷς συνείληφας ἀνθρώποις, τύτυς φίλει ἀλλ' ἀληθινῶς. *Quibuſcum hominibus vivere ſortitus es, il-*

los dilige ſed veraciter. Ant. Lib. VI. §. 39.

§. II. Latiſſime patent officia, mille caſibus variant millies. Res nos & verba conferemus ad compendium; verbo oſtenſuri quid decere hominem in vita civili, quantum ad colloquia, geſtuſque doceant Stoïci: tum cujuſmodi debeat eſſe quod alteri ferat alter auxilium: tandem quas deceat, vel quo animo ferre illatas injurias.

§. III. Colloquia exigunt Stoïci vel ſermones ſuaves, decentes, civiles, geſtuſque decoros: Vultus amabilem ſerenitatem, boni & æqui animi ſignum, benigni & pacis amantis: vultus torvitatem valde præter naturam eſſe arbitrantur. Ant. Lib VII. § 24. *τὸ ἐπίκοτον τοῦ προσώπου λίαν παρὰ φύσιν.* Atque huic convenienter membra ſingula diſpoſita eſſe debere: *οἷον γάρ τι ἐπὶ τοῦ προσώπου παρέχεται ἡ διάνοια, συνετὸν αὐτὸ καὶ εὔσχημον συντηροῦσα, τοιοῦτο καὶ ἐπὶ ὅλου τοῦ σώματος ἀπαιτητέον. Qualem enim in vultu ſpeciem ſui exhibet mens, dum ſcite eum & decenter componit, tale quiddam & in toto corpore exigitur.* §. 60. removenda ergo procul inſolentia omnis & faſtus, tectius, vel apertius. Peſſimus tamen

men iſte quidem faſtus habetur, qui alium contemnit. Decantatum illud eſt Platonis & Diogenis: quorum hic ſcilicet Platonis domum ingreſſus ſtragula pretioſiora calcans πατῶ, ajebat, τοῦ Πλάτωνος τῦφον. Ille vero reſpondebat: Ἑτέρῳ γε τύφῳ Laërt. Lib. VI. De eo Antoninus: ὁ γὰρ ὑπὸ ἀτυφίᾳ (potius ἐπὶ ἀτυφίας) τῦφος τυφόμενος, πάντων χαλεπώτατος. *Faſtus enim de faſtus contemptu inflatus, omnium intolerabilis maxime.* Lib. XII. §. 27. Faſtum removentes Stoïci, neutiquam approbant Cynicorum impudentiam, minime verecundiam, de quibus Cic. Lib. I. de Off. *Cynicorum vero ratio tota eſt ejicienda. Eſt enim inimica verecundiæ, ſine qua nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum.* Etiamſi rudiores forte Stoïci quidam illorum ſint exempla ſequuti, de quibus eodem libro Cic. *Nec vero audiendi ſunt Cynici, aut ſiqui fuerunt Stoïci pene Cynici, qui reprehendunt & irrident, quod ea quæ turpia re non ſint, verbis flagitioſa dicamus.*

§. IV. Periclitanti dein proximo, vel auxilio ſaltem indigenti alterius, ſuppetias ferre de hominis eſſe officio docent: imo vero etiam non vocatum ad-

eſſe debere, ut de animi in auxilium proclivis promptitudine, & ἀνυποκρίσει conſtet, quæ heic requiritur. Non licet tamen hoc prætextu in aliena quævis involare, & quæ alterius ſunt penitius rimari, ipſius incommodo. Ideoque docebat Chryſippus, debere ſapientem eſſe ἀπράγμονα καὶ ἰδιοπράγμονα *ſua curantem, ſed alienis abſtinentem.* Duplex hîc cavendum eſt vitium. Eorum alterum, qui vana rerum alienarum ſolicitudine, nec ſibi nec alteri profutura ſemper occupantur, ſua inſuper negligentes, alterius commoda non promoventes; *ardelionum quædam natio, trepide concurſans occupata in otio, multa agendo nihil agens* &c. *Illi, qui alienis negotiis ſe offerunt, ſemper aliquid agentibus ſimiles: horum ſi aliquem exeuntem domo interrogaveris: quo tu? quid cogitas? reſpondebit tibi: non mehercule ſcio; ſed aliquos videbo, aliquid agam: inconſultus illis vanuſque curſus eſt, qualis formicis per arbuſta repentibus.* Sen. de tranq. an. c. XII. Quo ſenſu & M. Ant. inutiles quaſdam occupationes hominum, vel ſaltem parum profuturas, confert ταῖς μυρμήκων ταλαιπωρίαις Lib. VII. §. 3. (quæ ſimilitudo an huic loco apprime con-

congruat, & an formicæ per arouſta reptantes panem ſibi quærentes, diligentiæ exemplum homini non præbeant, quæri poteſt). Abſtinendum ergo docent alienis negotiis, quando nec tibi potes nec alteri quicquam inde adferre commodi: μὴ κατατρίψῃς τὸ ὑπολιπόμενον τοῦ βίου μέρος ἐν ταῖς περὶ ἑτέρων φαντασίαις, ὁπόταν μὴ τὴν ἀναφορὰν ἐπὶ τὸ κοινωφελὲς ποιῇ. *Quod ſupereſt vitæ reliquum ne conteras in cogitationibus de rebus alienis, niſi ſi quid ad communem utilitatem ſpectaverit.* Ant. Lib. III. §. 4. Alterum vero illorum fugiendum eſt crimen, qui proximi auxilium reſpuunt; quaſi vero ſibi ſoli ad omnia ſufficerent. Faſtu indecoro & tumido ſe agitari oſtendunt iſti homines, neminem ſibi parem ſeve ſuperiorem agnoſcentes, quaſi ſe ſolis non alio mundus indigeret, ſed tales natura vel Deus non efformavit. Ideoque μὴ αἰσχύνου βοηθούμενος *auxilii ne pudeat te.* Ant. Lib. VII. §. 7. Quid enim? ſic pergit, oratione Latine facta: *Hoc tibi propoſitum eſt, ut quod eſt muneris tui facias, quomódo militi in muri oppugnatione* (τειχομαχία). *Quid ergo ſi adſcendere ad propugnaculum ſolus non poſſis, quia claudus es, poſſis vero ab aliis adjutus?*

§. V. Oboritur hinc quæſtio de republica; an viri boni & ſapientis ſit adminiſtrare rempublicam, & quo modo? Parcius nos de illa, quia & ipſi Stoïci, quorum etiam non concors omni ex parte hac de re opinio videtur fuiſſe. Sed quia ſcriptis illorum deſtituimur, rem omnem certo determinare difficilius eſt. Apud Cicer. ita quæritur Lib. III. de Leg. *Ain' tandem etiam a Stoïcis tractata ſunt? Non ſane, niſi ab eo* (Dione) *quem modo nominavi, & poſtea a magno homine, & imprimis erudito Panætio.* Athenodorum monet Seneca voluiſſe, actione rerum & reip. tractatione ſe detinere & officiis civilibus, optimum eſſe medium, tædium ex incommodis vitæ, depellendi; de tranq. An. c. III. Sic certe multis, tranquillitati animæ acquirendæ vita privata, procul omni rerum publicarum cura & ſolicitudine, accommodatior viſa eſt; qui ſapientem ideo tractatione reip. ſe detinere debere judicarunt, ob ingentem curarum & negotiorum amplitudinem, quæ in ipſo ſolent adhærere, quibuſque ab animæ tranquillitate, & beata quiete arceri ſolet. At Seneca noſter Stoïcus aliter judicavit, vitia tollenda docet non ipſam reip.

reip. adminiſtrationem, quæ vitioſa per ſe dici non meretur. Quadrat huc certe quod Cic. de vitiis ſenectuti afflictis: *Omnium iſtarum querelarum in moribus eſt culpa, non in ſenectute.* Multi enim qui arcentur ab adminiſtratione reip. animum ideo tranquillum & præſentibus æquum non gerunt. Pariter Antoninus ipſe Imperator, imperium non condemnat, ſed pravos imperantium mores ne imitetur, illum hortatur maxime, qui ſit imperaturus, cum vitia non ſint imperii ſed imperantis: quod ille vocabulo inſolenti dicit, ἀποκαισαροῦσθαι. Ὅρα μὴ ἀποκαισαρωθῇς. *Cave ne in mores Cæſareos transeas.* Lib. VI. §. 30. Attamen publici ſortem non ideo beatiorem eſſe privati, nec vehementer affectare aliquod regimen debere privatum, cum ſua ſe virtute involvens privatus poſſit privatis prodeſſe, & boni magnæ civitatis civis officio fungi, addit Seneca: *Ideo*, inquit, *magno animo nos non unius urbis mœnibus incluſimus, ſed in totius orbis commercium emiſimus: patriamque nobis mundum profeſſi ſumus, ut liceret latiorem virtuti campum dare.* Cæterum non contrariatur Stoïcorum aliis placitis adminiſtratio reip. Contra ſequitur po-
 tius,

tius, cui illa divina diſpenſatione obtigerit, illum quodammodo Diis fieri proximum, qui magnam mundi remp. regentes, hiſce in terris, tanquam vicarium homini iſti concedant regimen. Atque & divinæ benignitati acceptum eſſe referendum, ſi viri pii, ſapientes, & probi hoc officio fungantur. Cum enim neceſſaria ſit reip. adminiſtratio, ne omnia concidant, & intereant, potior haud dubie illius conditio eſt, ſi a ſapientibus, & piis, quam ſtultis regatur & improbis. Juſtitiæ exercitium, & amor proximi exigunt præterea, non tantum, manus ut ab illo abſtineamus, ſed & illum ab impiorum injuriis vindicemus; quod, quo prævaleat juſtitia, ne pereat mundus, rei poſtulat adminiſtrationem publicæ, ut qui impios non puniat, piis & juſtis faciat injuriam. Unde Anton. Lib. IX. §. 5. *ἀδικεῖ πολλάκις ὁ μὴ ποιῶν τι, οὐ μόνον ὁ ποιῶν τι. Injuſte agit ſæpe qui aliquid non facit, non tantum qui aliquid facit.* Non debet ergo obtendi Sapientis ſtudium, ipſum a rep. arcens, cum rebus corporeis & externis illud debeat haberi præſtantius, *neque enim juſti aut ſapientes dicendi ideo,* ait Cicero, *qui ſtudiis impediti, quos tue-*

ri

ri *debebant*, *deſerunt*. Sed ille hac de re plura, ubi agit de officiis.

§. VI. Bonorum autem civium officio qui non rite funguntur in ſocietate civili, reperiuntur permulti, convitiis lacerant, deſtringunt contumelia viros bonos, & ſapientes, mille modis alios lædunt, nocent, inſectantur; quid illi interea? Sic docent Stoïci: Ferendæ ſunt iſtæ injuriæ, tanquam ſi eſſent tantummodo patientiæ, & virtutis a viro bono exercendæ, ſtimuli quidam; ipſique illi qui injuria afficiunt, ſi fieri poſſit, meliora docendi; ſin minus cogitet vir bonus, fieri aliter non poſſe quin impii ſint in mundo. Anton. Lib. IX. §. II. εἰ μὲν δύνασαι μεταδίδασκε· εἰ δὲ μὴ, μέμνησο, ὅτι πρὸς τοῦτο ἡ εὐμένειά σοι δέδοται. *Si potes, meliora doce. ſin minus memineris hoc fine tibi datam clementiam.* Quid enim? continuo magnum præbent, quos imitari decet ſapientem, exemplum Dii immortales. ibid. οἱ θεοὶ δὲ εὐμενεῖς τοῖς τοιούτοις εἰσίν. *Dii enim ipſi adverſus tales clementes ſunt.* Pluribus Lib. VII. §. 70. Οἱ θεοὶ ἀθάνατοι ὄντες, οὐ δυσχεραίνουσιν, ὅτι ἐν τοσούτῳ αἰῶνι δεήσει αὐτοὺς πάντως ἀεὶ τοιούτων ὄντων καὶ τοσούτων φαύλων ἀνέχεσθαι.

Dii immortales cum ſint, non ægre tamen ferunt, quod per ævum tam immenſum ipſos oporteat omnino tot taleſque qui ſint, improbos jugiter ſuſtinere. Cavendum id ſibi ducet vir bonus, ne malum malo, at rependat potius bonum aliquod, ne eodem vitio laborare deprehendatur. Hinc quærit Antoninus alibi: ἐὰν ὀργίζωνται μήτι αὐτὸς ὀργισθῇ; *ſi iraſcantur, an etiam ſis exarſurus in iram.* Neutiquam: id tantum operam dabit ſapiens, ut ne quid ira vel indignatione dignum facere deprehendatur; itaque, καταφρονήσει μου τις; ὄψεται. ἐγὼ δὲ ὄψομαι ἵνα μή τι καταφρονήσεως ἄξιον πράσσων ἢ λέγων εὑρίσκωμαι. *Contemnit me quis? videat. Ego mihi cavebo, ne quid contemptu dignum dicens aut faciens inveniar.* Lib. XI. §. 13. Verbo, bene facturus eſt vir ſapiens, qui ejuſcemodi omnia ſecure negligens virtutis non obliviſcatur, ſed bonæ conſcientiæ teſtmonio tutus, Diis optimis rerum arbitris magis placere ſtudeat, quam hominibus, iis præſertim qui pravi ſunt rerum æſtimatores. *Nihil eſt enim turpius, quam ſapientis vitam ab inſipientium ore pendere*; uti Cic. Lib. II. de fin.

§. VII. Atque hæc cogitationes illas præ-

præcedunt, acſi evitandi calumnias & injurias remedium eſſet optimum, velificari favori populi. Illud viro bono, & ſapienti indignum habent Stoïci, verbis vel factis adulari, & officii ſui obliviſci. Circumcidenda eſt converſatio, vel penitus abrumpenda, ſi inter homines non liceat quicquam boni agere & naturæ congruum, licet invidiam ſibi quis eo ipſo conciliet, potius enim erit in illam incurrere, bene agendo, quam male agendo, amicitiam conſequi. Imo vero mori potius eſſe viro bono Stoïci affirmant, quam male vivere. Ant. Lib. x. §. 15. *ἰδέτωσαν, ἱστορησάτωσαν οἱ ἄνθρωποι ἄνθρωπον ἀληθινὸν, κατὰ φύσιν ζῶντα. εἰ μὴ φέρουσιν, ἀποκτεινάτωσαν. κρεῖττον γὰρ ἢ οὕτω ζῆν. Videant & noſcant homines hominem verum, qui naturæ convenienter vivat. Sin non ſuſtinent, occidant; hoc enim ſatius eſt, quam ita vivere* ſc. ut ipſi vivunt, vel alium vivere juberent. Eaque, quæ de reip. adminiſtratione diximus, ſui ſuorumque mutua & publica conſervatione difficultatem alteram, quæ ſuboriri poſſet, facile tollunt, hanc videlicet: vim omnem hoſtilem, & bellum repugnare charitati, & mutuo amori. Differunt privata

&

& publica, ſui tutela, & injuria; quæ ſui ſuorumque aſſervandorum, vel quæ per vim ablata ſunt, repetendorum gratia geruntur bella, injuſta non ſunt; at, quæ nulla, vel probroſa de cauſa ſuſcipiuntur, & geruntur, ut injuſta & violenta ſic etiam prorſus ſunt illicita; quemadmodum hinc nonnemo Alexandrum vocavit, *felicem terrarum orbis prædonem.* Non omnem audaciam virtutis aut fortitudinis nomen mereri judicant Stoïci. Impia conſuetudo, ubi

. . . *Proſperum ac felix ſcelus*
Virtus vocatur. Sontibus parent boni.
Jus eſt in armis, opprimit leges timor.

Sen. Trag. Herc. Fur. 250.

§. VIII. Rectius hæc omnia Stoïci & decentius, Atheïs illis noſtri ævi, qui juſti aut honeſti nomina vere ridentes, ſectandum nihil dicunt niſi quod utilitati, non alienæ, ſed ſuæ inſervit. Officium, proximo debitum, præſtandum docent Stoïci, quia ille dignitate nobis inferior non eſt, ejuſdem ſanguinis & ſpiritus particeps: quia lex divina, ut juſta, ſancta, id exigit: quia virum bonum decet colere virtutem. At hi nihil minus. Legis divinæ & vitæ ſanctitatis pretium nullum faciunt. Potentiſ-

tiſſimum, licet flagitioſiſſimum, ubi res ita tulerit, feliciſſimum habent. Quid enim: mundum qui regat, ipſis nullus eſt. Leges qui conſtituat, pariter: pœnam vel retributionem qui timeat, vel expectet, timidum vel inſanum habent. Numquid iſtiuſmodi reip. peſtes terræ munere digni ſunt? Meliora omnia Stoïci noſtri, qui tempore vixerunt ignorantiæ. Unum neceſſe habeo dicere, aliena his dictis; Stoïcorum altera ſententia eſt, quæ omnes damnat affectus, adeoque miſericordiam. Sic Cic. Tuſc. Quæſt. Lib. III. *Atqui quemadmodum miſericordia ægritudo eſt, ex alterius rebus adverſis: Sic invidentia ex alterius rebus ſecundis. In quem igitur cadit misereri, in eundem etiam invidere. Non cadit autem invidere in ſapientem, ergo ne miſereri quidem. -- Hæc ſic dicuntur a Stoïcis* &c. Sed hic error eſt: invidentia & miſericordia pari paſſu non ambulant neceſſario.

CAPUT VI.
De SUMMO BONO ET TRANQUILLITATE ANIMI.

§. I. EXtitiſſe inter priſci ævi philoſophos, qui omnes hominis fines, adeo-

adeoque ultimum, tollere ſuſtinuerint, quod Democrito, Leucippo, Epicuro attribuiſſe Ariſtotelem, obſervatum eſt, licet nonnunquam aſſeratur; res tamen ipſa ultro ſatisfieri manifeſte videtur, eſſe, & fuiſſe ſemper unicuique ſummum aliquem, vel ultimum finem, quem conetur aſſequi, felicitatem ſibi quam poſſit maximam acquiſiturus. Qui fines hominis ultimi quam fuerint multifarii, pro cujuſvis vario degendi inſtituto, pervulgata illa facta eſt quæſtio, de ſummo bono: qua quæſitum fuit quid illud eſſet, quod homini præ omnibus aliis, appetendum eſſet tanquam optimum, maximamque quæ daretur felicitatem allaturum, quod ultra quærendum nihil haberet, ſed cui acquirendo omnes ipſius fines & actiones deberent inſervire: Nobis cum de Stoïcorum Theologia dicere eſſet animus, & hanc quam de ſummo bono fovent opinionem, dictis adjiciendam eſſe exiſtimavimus. Præſtandi enim Deo & homini officii ſolertia, de qua quid habeant Stoïci, viſum eſt, & ſummo alicui ſcopo, ſeu fini, vel ſummo cuidam bono aſſequendo, cenſeri debet a Stoïcis deſtinari.

§ II. Diſpertiri in diverſiſſimas ſententias poſſe opiniones philoſophorum de ſum-

ſummo bono, quiliber videt, & quidem, ex ſubtili M. Varronis inquiſitione diſtribui facili negotio potuiſſe in 288. diſcimus ex Auguſtino. Is Lib. XIX. de Civ. D. c. I. *Ex quadripartita velut generalium diſtributione ſectarum (una & item* altera opinione in animo, in corpore, & utroque fines, bonorum & malorum ſtatuent) *Marcus Varro in libro de Philoſophia, tam multam dogmatum varietatem diligenter & ſubtiliter ſcrutatus advertit, ut ad* 288. *ſectas, non quæ jam eſſent, ſed quæ eſſe poſſent, adhibens quaſdam differentias, facillime perveniret.* Hac omni contorta inquiſitione miſſa, pro inſtituto noſtro, noſtris quid Stoïcis placuerit dicemus, at & breviter.

§. III. Platone, qui in idea ſummum bonum, ſeu in contemplatione ideæ ſummam ponebat felicitatem: Epicuro, qui ut multis videtur nec ſine ratione in voluptate corporis, quemadmodum Ariſtippus; diſſentiunt hic Stoïci, propius ad Peripateticos ſe applicantes. Utrique enim in virtute *ſummum bonum* collocant; at hoc juxta Metaphyſicos cum diſcrimine; quod in *virtutis exercitio ſummum* collocaverint Peripatetici *bonum*, Stoïci autem *in habitu.* Attamen ſeparare

rare anxie nolle Stoïcos virtutis habitum, ipſumque exercitium, vel actionem, non mihi tantum ſed me peritioribus etiam videtur. Verbo, ſic voluiſſe Stoïcos exiſtimamus: Virtutem eſſe ſummum bonum, illamque idcirco ultimum debere hominis finem eſſe, utpote propter ſe ipſam expetendam. Dicendamque eſſe illius hominis vitam vere beatam, qui ſolidam operam virtuti, animum ſibi habeat ac ſervet tranquillum, ſeque, & virtute ſua contentum.

Juv. ſub finem Sat. x.

Semita certe
Tranquillæ per virtutem unica vitæ.

Libet & ita definire, ut beatum dicamus hominem eum, cui nullum bonum malumque ſit, niſi bonus maluſque animus: honeſti cultor, virtute contentus. Sen. de vit. beat. c. v. & cap. VIII. *Quare audacter licet profitearis, ſummum bonum eſſe, animi concordiam.* Quam cap. II. de tranq. an. vocat. *Tranquillitatem*, eamque eandem eſſe ſibi, ait, quæ Græcis εὐθυμία eſt. Atque hanc ſic dictam vitam beatam eſſe naturæ congruentem, ut idem ſit beate vivere, & ſecundum naturam vivere. Hoc quidem inter Stoïcos convenire idem Seneca monet de vit. beat, c. III. *Interim quod inter omnes*

Stoï-

Digitized by Google

Stoïcos convenit, rerum naturæ aſſentior ab illa non deerrare, & ad illius legem exemplumque formari, Sapientia eſt. Beata eſt ergo vita conveniens naturæ ſuæ quæ non aliter contingere poteſt, quam ſi primum ſana mens eſt, & in perpetua poſſeſſione ſanitatis ſuæ. Cæterum de bono ſpirituali gratiæ, aut gloriæ, non eſt hic ſermo, de omni namque cœleſti bono, quale electis Dei obtingit, altum erat quemadmodum apud reliquos gentiles, ſic & Stoïcos ſilentium, qui de futura vita & quæ poſthac eſſent eventura, admodum erant incerti. De bono ergo naturali agitur & civili, quod homini ſit optimum maximeque expetendum quamdiu in hac magna mundi republica verſari conceſſum eſt. Atque hic quidem vere bonum nihil agnoſcunt præterquam quod juſtum & honeſtum ſit: Juxta illud ſuum paradoxum: ὅτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν. *ſolum bonum eſſe quod honeſtum ſit.* Ratiocinantur hinc ita apud Ciceronem Lib. III. de fin. *Quod eſt bonum, omne laudabile eſt, quod autem laudabile eſt, omne eſt honeſtum; bonum igitur quod eſt, honeſtum eſt.* Prout ex adverſo illud ſolum malum eſſe dicunt quod inhoneſtum ſit & turpe M. Ant. Lib. II. §. 1. ἐγὼ δὲ τεθεωρηκὼς τὴν φύσιν τοῦ ἀγαθοῦ,

ὅτι καλὸν, καὶ τοῦ κακοῦ, ὅτι αἰσχρὸν &c. *Ego vero quum cognoſcam naturam boni, quod honeſtum ſit, mali autem quod turpe ſit* &c.

Hinc voluptatem, tanquam turpe aliquod, & inhoneſtum, neutiquam ſummum bonum eſſe poſſe pronuntiant Stoïci. Addo etiam aliquid amplius, cum virtute nullo modo poſſe conjungi, neque enim in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere, nec viciſſim, in virtutis regno, voluptatem. *Quid tamen, inquit, prohibet in unum virtutem voluptatemque confundi, & ita effici ſummum bonum, ut idem & honeſtum & jucundum ſit? Quia pars honeſti non poteſt eſſe niſi honeſtum: nec ſummum bonum habebit ſinceritatem ſuam; ſi aliquid in ſe viderit diſſimile meliori.* Sen. de vit. beat. c. xv.

§. IV. Sic quidem de virtute, ſummo bono, Stoicis convenit cum Peripateticis; at de bonis fortunæ & corporis, quæ vocantur, non item. Hæc quidem Peripatetici aliquo modo facere ad perficiendum ſummum bonum docent, & miniſtras auxiliares manus præbere virtuti, ut vere beatior & felicior ſit habendus, qui illa poſſidet, quam qui caret iiſdem. Stoïci contra, virtutem ſibimet ipſam adeo ſufficere, ut nullis iſtis adminiculis indigeat,

Digitized by Google

geat, nec poſſe eadem quovis modo virtuti tanquam ſummo bono prodeſſe, quia ne quidem bonorum loco haberi queant; cum nec honeſta ſint nec turpia, nec bona, itaque nec mala. Saltem ſic ſentire creduntur Stoïci, & vere etiam nonnulli loquuntur, exiſtimantes ſi vere bona eſſent parcius diſpertita ea non futura fuiſſe a Diis, viris bonis: malis contra conceſſa, ut tamen ſæpiſſime factum cernitur uberius & copioſius. Cui addunt, plurimis iſta potius incitamenta fieri voluptatum, ſeu vitiorum, quam virtutis, cum tamen ſi bona eſſent bonos facere deberent. Tandem etiam, Deos immortales prorſus in arbitrio hominum poſuiſſe felices ſe reddere vel infelices: illa autem dicta corporis aut fortunæ bona, in noſtra poteſtate neutiquam eſſe, nec ergo etiam bonorum loco habenda. M. Ant. Lib. II. §. II. καὶ τοῖς μὲν κατ' ἀλήθειαν κακοῖς, ἵνα μὴ περιπίπτῃ ὁ ἄνθρωπος, ἐπ' αὐτῷ τὸ πᾶν ἔθεντο &c. *Et ne incedat in ea quæ vere mala ſunt, homo, prorſus in ipſius arbitrio poſuere, reliquorum ſi quid malum exiſteret, & de hoc utique proſpexiſſent... nec errorem tam immanem admiſiſſet unquam, ſive per impotentiam, ſive per imperitiam ut bona ac mala, bonis maliſque ex æquo*

hominibus, nullo facto diſcrimine contingere pateretur. atqui mors & vita, honor & ignominia, dolor & voluptas, opes & paupertas, iſta omnia bonis pariter & malis eveniunt, cum nec honeſta ea ſint nec turpia, nec bona itaque nec mala.

§. V. Sed enim, annon alia parumper antiquioribus Stoïcis ſteterit ſententia, non abs re quæri & hic poſſet; ſic ſcilicet, ut non prorſus indifferentia, ſed ſuo quodam modo bona & appetenda habuerint ea, de quibus agimus: Mihi profecto hoc ipſum Stoïcorum placitis congruum videtur. Quid enim ſummis extollunt laudibus, & decentem in modum celebrant, divinam in humanum genus benignitatem, quæ quæſo qualis foret, ſi hæc talia bonorum numero eximenda forent? Animam enim, ſui ipſius dominam, nullo divinitus, niſi independentiæ bono, ſi & tale ſit habendum, donari; Ergo divina beneficia humanum in genus collata, nulla ſunt amplius. Et quomodo rerum humanarum curam gerere dicunt Stoïci, aut quælibet in humani generis commodum aut bonum ordinaſſe & diſpoſuiſſe Deos, ſi omnia illa externa bona, vel inſuper, vel ſaltem nullo fere ſint loco habenda? Addo etiam, ſi juxta Stoïcos eoſdem, magna ſit Deorum beni-

Digitized by Google

benignitas quod tolerent iniquos certe futuram majorem, ſi etiam beneficiis cumulent & muneribus. Non ſunt ergo bona illa prorſus indifferentia habenda, ſed aliquo in honore licet minori, quam ſummum bonum virtus. Annuit Seneca: negat Sapientes ſuos, quibus ſummum eſt bonum virtus, nullo prorſus iſta habere bona in pretio, ſed aliquo. Sic ille, de brev. vit. c. XXII. *Quis porro ſapientum noſtrorum dico, quibus unum eſt bonum virtus, negat etiam hæc, quæ indifferentia vocamus, habere in ſe aliquid pretii, & alia aliis eſſe potiora? Quibuſdam ex his tribuitur aliquid honoris, quibuſdam multum. ne erres itaque, inter potiora divitiæ ſunt.* Hinc ita dixerat: *Quid autem dubii eſt, quin major materia ſapienti viro ſit animum explicandi ſuum in divitiis quam in paupertate?* En quo in loco dicta fortunæ bona habenda ſint.

§. VI. Cum vero bene vel male his, per ſe non malis, ſed bonis potius, utentibus cedant in perniciem, vel ſalutem, legem dicet vir ſapiens his omnibus, ut ſemper dominus ſit, non ſervus: bene enim miniſtrant, ſed peſſime imperant, nec tamen, quia vitio utentis malum conciliant, mala judicanda ſunt, optimum e-

nim quodlibet, vitio male utentis, reddi poteſt peſſimum. Ita & hæc, mala non ſunt, ſed fiunt, quia male uſurpantur. Sed quid illa lex, quam dicet hiſce vir ſapiens? recte de rebus ipſis judicabit, & res ipſas gubernatrici ſubmittet menti, vel rationi ſapienter regenti. Quo neglecto duplici officio, multi præcipitantur in perniciem. Deprimenda elevant, elevanda deprimunt multi, atque ita dum ſummum affectant bonum, ſed immoderato impetu, & perverſo judicio, omni bono privantur. Divitias, honores, oblectamenta virtuti præferunt, hæc ultimum finem ſtatuentes, debito fine & vero bono carent. Mordacibus curis, & inordinatis ſolicitudinibus adeo implicantur, ut animi tranquillitate deſtituantur. *Alium inſatiabilis tenet avaritia: alium in ſupervacuis laboribus operoſa ſedulitas: alius vino madet: alius inertia torpet: alium defatigat ex alienis judiciis ſuſpenſa ſemper ambitio.* Sen. de brev. vit. c. 11. Recte id quidem quid enim, ambitioſus inprimis, nonne bonum ſuum in actione aliena poſitum agnoſcere debet: cui ſi addatur, quam brevi momento gloria, ſi quis etiam eam fuerit conſecutus, pereat, dicine ille poterit, qui ſola gloria delectatur, ſummum eſſe bo-

bonum conſecutus? M. Ant. Lib. VII. §. 6. Ὅσοι μὲν πολυύμνητοι γενόμενοι ἤδη λήθη παραδίδονται. *Quam multi qui celebres olim extiterunt, oblivioni jam ſunt traditi: Et quam multi eorum qui iſtos celebraverant, jam olim penitus ſunt aboliti?* Lib. VIII. § 31. *Auguſti aula, uxor, filia, nepotes, privigni, ſoror, Agrippa, cognati, familiares, amici, Arius, Mæcenas, medici, popæ, aula tota morti conceſſit.* Ita ſunt omnia caduca, πάντα ἐφήμερα, §. 25. & imprimis gloria quam ſibi tamen evelli difficillime patitur homo, ut ultimam hanc ſe tunicam exuturum, ſub mortis horam, dixerit Plato. Adeo, quod ne boni quidem nomen meretur, uti hæc κενοδοξία, pro ſummo bono multis habetur. Idque quia de gloria perverſe judicant & affectibus frenum laxant. Regis nomine appellat Seneca Trag. ideo illum,

Quem non ambitio impotens,
Et nunquam ſtabilis favor
Vulgi præcipitis movet. Thyeſt. 364.

Vulgo enim cujus delectatur φιλόδοξος applauſu nihil inſtabilius fortunæ quæ amica eſt varietati, comite Juv. Sat. x.

---Sequitur fortunam, ut ſemper; & odit
Damnatos. Idem populus ſi Nurſcia
Thuſco

Faviſſet, ſi oppreſſa foret ſecura Senectus Principio: hac ipſa, Sejanum diceret hora Auguſtum.

§. VII. Divitias vero quod attinet, & quæ aliquo in honore vel pretio ſunt habenda, iis virum ſapientem ita uti debere & poſſe docent, ut proſint, non obſint, incitamenta virtutum, non irritamenta malorum. *Non amat divitias, ſed mavult: non in animum illas ſed in domum recipit: nec reſpuit poſſeſſas ſed continet & majorem virtuti ſuæ materiam ſubminiſtrari vult.* Sen. de vit. beat. c. XXI. At quid ſi avolent aliquando? *mihi divitiæ,* dicit idem Sen. c. XXII. *Si effluxerint, nihil auferent niſi ſemet ipſas, tu ſtupebis & videberis tibi ſine te relictus, ſi illæ a te receſſerint ---- ad poſtremum divitiæ meæ ſunt, tu divitiarum es.*

Summum ergo bonum, minoris cujuſdam acquirendi vel retinendi ergo, negligere, ſapientis non eſt; nec quo carere poſſumus, ad ſudorem uſque ſectari decet, inſuper etiam habito ſummo, quod vere beatum efficit bono. Perverſe itaque illi de quibus iterum Sen. de brev. vit. c. II. *Omnes iſtos ab infimis uſque ad ſummos pererra: hic advocat; hic adeſt;*

ille

ille periclitatur; ille defendit; ille judicat; nemo ſe ſibi vindicat. Quid tandem? mentem ſuam potiſſimum contuebitur vir ſapiens, tanquam fontem virtutum continuo ſcatentem hanc eſſe debere cogitabit. Ant. Lib. VII. §. 59. Ἔνδον βλέπε, ἔνδον ἡ πηγὴ τοῦ ἀγαθοῦ καὶ ἀεὶ ἀναβλύειν δυναμένη. *Intus te conſpice, intus eſt boni fons, qui ſemper ſcaturire poteſt.* Et Lib. VIII. §. 51. Πῶς οὖν πηγὴν ἀέναον ἕξεις καὶ μὴ φρέαρ; *Quo modo igitur fontem perennem in te, non puteum habebis?* Ideoque exhortari & interrogare ſe ipſum decet: πρὸς τί ποτε ἄρα νῦν χρῶμαι τῇ ἐμαυτοῦ ψυχῇ; *ad quid anima nunc utor mea?* Sen. de brev. vit. c. VII. *Diſpunge ac recenſe vitæ tuæ dies: videbis paucos admodum ac rejiculos apud te reſediſſe.* Ut ſic tandem anima, virtuti intenta, verum & ſummum bonum aſſequatur.

§. VIII. Specioſa videntur, quæ hactenus ſentire Stoïcos diximus de ſummo bono, & vita beata, ſed fuco, quo perfuſa eſt hæc virtus, ſublato ipſum illud venuſtum perquam apparebit horridum & indecorum, maxime ſi bona corporis & fortunæ, ſic dicta, bonorum loco a Stoïcis non habeantur; ſic enim omnem ipſos tollere divinam in humanum genus be-

Digitized by Google

nignitatem, jam indicavimus. At de hoc ipſo ſuum cuilibet liberum eſto judicium. Si vel ſolam animam, & quam prædicant ſummum bonum, virtutem reſpiciamus; illam diximus ex Antonino ſe habere ad inſtar fontis jugiter ſcaturientis, unde virtutes tanquam perennes aquæ profluant. Sed qualis vero hic fons virtutis? Divinam dicunt eſſe animam, prorſus liberam, ſeu potius prorſus independentem, nullius, nec hominis, nec quidem Dei gubernationi ſubjectam, ſui ipſius, & ſuæ felicitatis, & tranquillitatis & virtutis opificem. Quid inde? Nimirum fruſtraneam eſſe auxilii divini, ad bene & feliciter vivendum implorationem: res nihili eſſe omnes preces: non ad Deum ſed ſe ipſum eſſe confugiendum. Unde tandem illud Senecæ; *Hoc eſt ſummum bonum quod ſi occupas, incipis Deorum eſſe ſocius, non ſupplex.* Enimvero plus dicit Ep. 41. *Quam ſtultum eſt optare, cum poſſis a te impetrare? non ſunt ad cœlum elevandæ manus.* Epicureo quidem illud convenit, quod Lib. III. de Nat. D. apud Cic. *Virtutem autem nemo unquam acceptam Deo retulit. nimirum recte: propter virtutem enim jure laudamur, & in virtute recte gloriamur, quod non contingeret ſi id do-*

donum a Deo non a nobis haberemus. At turpe eſt, quod Seneca ipſe, ſic dicere: *Turpe eſt etiamnum Deos fatigare, quid opus votis eſt? fac te ipſe felicem.* Non decent profecto iſtiuſmodi dicta philoſophos Stoïcos, qui mundum, quæ in mundo ſunt, providentia divina optima & ſapientiſſima gubernari docent: qui Deum in omnibus decere ſequi ajunt, ut ſupra diximus, & expreſſe idem Seneca de vit. beat. c. xv. *Habebit in animo illud vetus præceptum: Deum ſequere.* Qui opem divinam in omnibus implorandam aſſerunt. Quo ergo modo hæc inter ſe cohæreant, vel quo modo tam diverſa ex animi ſententia loquuti poſſint cenſeri Stoïci, videat qui poteſt. Niſi hunc Senecæ cumprimis ſcopum fuiſſe malis, ut improbitatem coargueret illorum, qui auxilium divinum efflagitantes nulla ſui habita cura, præcipites ſe dabant ſecure in quælibet vitia: fruſtraneæ enim non tantum ſed & turpes ejuſcemodi preces ſunt. Attamen ſuimet ipſius cura, & ſupplex divini auxilii imploratio, non ſibi erant ideo opponendæ.

§. IX. En ergo virtutis nomen, vera virtute orbatum hominem ad juſtum potius inſolentem, quem ipſimet damnant,

&

& vituperant Stoïci, abducens, quam ad decoram obedientiam, Numini debitam, veramque pietatem, abſque qua virtus non eſt virtus. Involutam hanc ergo ipſam virtutem turpi gentium Atheiſmo quilibet ſapiens facile intelligit. Pii profecto licet fuerint dicti, fuerunt impii: religioſi Athei: ſapientes ſtulti, ambulantes per viam tenebrarum tempore ignorantiæ. Malos igitur doctores ſequuti ſunt Pelagiani, virtutem & bona opera non Deo ſed ſibimet ipſis vindicantes, virtutem non Deo acceptam referentes ſed ſibi. Gentilis hoc quidem erat, at non Chriſtiani; qui edoctus eſſe debet nihil ſuum agnoſcere, quod non acceperit, & ſi acceperit non gloriari, acſi non accepiſſet. Sed de hiſce jam diximus cap. 11.

§. X. Idem vero Stoïci, utut præter fas hominis extollant libertatem, eidemque concedant, ſibimet ipſi vitam beatam acquirendi facultatem, præſtant nihilominus Epicureis, qui ſummum bonum in voluptate collocant: & Atheis noſtri ævi, qui ſummam ſibi legem habent expulſo omni dolore, religione & pietate omni inſuper habita, vitam omnis generis voluptatibus refertam ſecure degere, oblectamentis ſuis nomen dicentibus virtutis.

Stoï-

Digitized by Google

Stoïci beate vivere, dicunt eſſe ſecundum naturam vivere: at ſecundum naturam vivere, dicunt eſſe vivere ſecundum virtutis legem, quæ jubet omnia bona & honeſta. At hi, ſecundum naturam vivere, volunt eſſe in deliciis vivere, eaque ſectari, quæ faciunt ad conſervandam vitam & promovendum gaudium.

Stoïci bona fortunæ & corporis, vel nullo, vel aliquo habent in pretio, virtutem ſemper præferentes. At hi, illa ipſa ſummum habent bonum.

Verum eſt equidem, quod & jam indicavimus, veræ virtutis naturam non docuiſſe Stoïcos, contra vero, humanam mentem divinæ providentiæ ſubducendo, ad impietatem viam ſternere, ſed hoc ex ignorantia oritur, dum tamen fædæ omnis voluptatis, impiæque vitæ erant inimici, nil niſi virtutem, juſtum & honeſtum exigentem, ſummum bonum collaudantes.

CAPUT VII.

De PRÆSTANTIA THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ PRÆ GENTILI.

§. I. HActenus ea diſſeruimus, quæ vitam Stoïcorum exhibent utcunque

que, civilem non adeo, quam religioſam ſeu potius Theologiæ Stoïcæ dogmata quædam. Ex dictis quid de hac Stoïcorum, aliave gentili, altius non aſſurgente Theologia habendum ſit, conſtare exiſtimo. Officio tamen cenſeri poſſemus defuiſſe, niſi de præſtantia noſtræ Chriſtianæ Theologiæ, ſua ſe dignitate infinite præ omni gentili commendantis, verbum adderemus. *Oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt.*

§. II. Appoſite hic illic vidimus loquentes de divinæ Naturæ æternitate & beatitudine Stoïcos de Divinis operibus, de mundi ordinatione & gubernatione optima & ſapientiſſima, de benignitate erga genus humanum. Sed ſi probe cognoſcantur ejuſcemodi quædam deprehenduntur fuiſſa commenti, ut vere ſapientes ſe profeſſi, inſipientes ſe prodant. Naturam quidem divinam ajunt eſſe æternam, ſumme beatam, optimam; ſed Deos eſſe plures docent, tanquam civili quadam conſociatione conjunctos, unum mundum, ut communem aliquam remp. ſeu urbem regentes: imo vero, Deos etiam viſibiles agnoſcunt, ſolem, lunam, ſtellas, quin totum mundum divinæ naturæ participem, pervagante omnes mundi partes anima? Quæ

quam

quam abſurdum Atheïſmum indicant: ſplendida ſunt pariter, quæ de Divino rerum mundanarum moderamine, & ſapienti directione conſtituerunt, ſed & nil ultra. Neque enim ſunt hæc qualia videntur. Curam quidem ajunt geſſiſſe Deos, ne quid mali, citra ipſius hominis voluntatem, eveniat, quippe qui omnia bona & mala prorſus in ipſius poſuerunt arbitrio: bona autem fortunæ vel corporis, quæ ſic dicuntur, penitus indifferentia eſſe, nec bona nec mala eſſe dicenda. Sed horum nonnulla Divinæ providentiæ ſubducunt, alia dicentes Deorum cura indigna eſſe; Deorum alia excedere potentiam & virtutem, malam ſcilicet materiam, quam artifices Dii mutare non potuerint. Sed hoc quale quæſo eſt? bonum malum & malum bonum vocant. Si enim mala illa corporis & fortunæ quædam, e prava materia ortum habeant, quomodo mala eſſe deſinunt, id eſt, quomodo indifferentia dicuntur? Præterea ſi materiæ iſti æternæ fatum quoddam addant, quale vulgo fatum Stoïcum concipitur, potentius utique erit fatum irrationalem neceſſitatem involvens, Deo, ratione ſumma & potentia prædito. Atque quid tum agunt aliud, quam quod hominem rebus ſecun-

dis

Digitized by Google

dis admodum ingratum, adverſis contra reddant contumacem, atque ab imploratione auxilii divini, tanquam nihil profuturi, avocent? Juxta Sen. Trag. illud Oedip. 980.

Fatis agimur: cedite fatis.
Non ſolicitæ poſſunt curæ
Mutare rati ſtamina fuſi. & mox 991.
It cuique ratus, prece non ulla
Mobilis ordo.

Vel ſi & fati nomine conſtitutionem intelligant Divinam, quod veroſimilius videri diximus, & idem Seneca (ſi etiam idem) mihi manifeſtius facit, de Prov. c. v. *Quicquid eſt quod nos ſic vivere juſſit, ſic mori: eadem neceſſitate & Deos alligat irrevocabilis humana pariter ac divina curſus vehit. Ille ipſe omnium conditor ac rector ſcripſit quidem fata, ſed ſequitur. ſemper paret, ſemel juſſit.* (Eodem illud ſenſu dictum poteſt cenſeri:

Non illa Deo vertiſſe licet,
Quæ nexa ſuis currunt cauſis.)

Qualis tamen illa deorum haberi poteſt in humanum genus benignitas, quæ omnia adverſa & proſpera, ex æquo, viro bono obtingere ſinat ac impio: indifferentia, hæc indifferenter diſpenſat; at verum bonum nullum homini largitur,

hunc

Digitized by Google

hunc ſibi penitus permittit. Pietas profecto hinc oritura qualis eſſe poteſt? maxime ſi ſubſequatur tandem bonorum & malorum ex æquo fortunam terminans mors. Mediis in ærumnis verſanti, ſolum acquirendæ tranquillitati remedium dare, perſuaſionem qualemcunque, de malo, non malo, id vero ſolamen neutiquam præbet, nec pietati promovendæ ullo modo conducit.

§. III. At virtutem eſſe ſummum bonum dixerunt, hancque propter ſe ipſam eſſe quærendam, ſuique ipſius præmium eſſe. Sen. de vit. beat. c. IX. *Interrogas, quid petam ex virtute? ipſam. nihil enim eſt melius; ipſa pretium ſui eſt*. Sed quicquid hoc ſit, veram colere virtutem, animumque poſſidere habitu virtutis ornatum, exercitio virtutis ſemper vacantem, hoc opus, hic labor eſt. Non equidem apud gentilem quempiam nec apud Stoïcos vera virtus inveniri poteſt, quæ hominem reddat verè beatum, tanquam ſummum bonum. Juſtitiam potiſſimum, fortitudinem, & temperantiam virtus complectitur: & harum quidem juſtitia ab ævo primaria fuit habita, tanquam fons & origo omnium reliquarum virtutum, juxta antiquum illud:

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι
Juſtitia in ſe virtutes complectitur omnes.
Atque ita etiam Stoïcis. M. Ant. Lib. XI. §. 10. ἀπὸ δὲ ταύτης (δικαιοσύνης) αἱ λοιπαὶ ἀρεταὶ ὑφίστανται. *Ab hac vero (juſtitia) reliquæ virtutes naſcuntur.* Sed conjungatur cum juſtitia, fortitudo, & temperantia, ecquis Stoïcorum eo aſcendit faſtigii virtutem colere præ ſe ferens, ut ſupra fortunam fuiſſe dici potuerit atque intrepide omnia mundi adverſa & fortunæ ictus exceperit, ſemper idem & ſibi conſtans, qualis vir ſapiens & bonus ipſis habetur: ſi non ergo rite coluerunt virtutem nec ſummum bonum adepti ſunt, ſed conati ſunt adipiſci. Ipſe Seneca de vit. beat. c. XVIII. *Hæc non pro me loquor: ego enim in alto vitiorum omnium ſum: ſed pro illo cui aliquid actum eſt. Aliter, inquit, loqueris, aliter vivis. De virtute non de me loquor: & cum vitiis convicium facio, imprimis meis facio. cum potuero, vivam quo modo oportet.* Si vero etiam virtus ſit dicenda, nonque talis videtur, ſed quæ talis eſt, virtute vera deſtituti deprehendentur Stoïci. Fons, unde prodeunt iſtæ actiones quæ virtutis nomine inſigniuntur, & finis in quem dirigun-

Digitized by Google

guntur, eandem actionem bonam aut malam eſſe oſtendunt: neque enim ipſis Stoïcis, hypocrita, vir bonus & juſtus habetur. Jam vero ſpiritum humanum æternum dicere & divinum, ſui ipſius dominum, ſuæque fortunæ fabrum, &c. hæccine talia quædam ſunt principia, ex quibus vera virtus poſſit oriri? Ad ſummum, non poſſunt diſtingui viri boni & mali Stoïcis habiti tanquam pii & impii, ſed tanquam mali & peſſimi Speciem enim virtutis opus exhibens qui peragit, vera virtute deficiente, diſcrepat ab aperte impio, *non quia ille bonus*, *ſed quia iſte magis malus*. Nam qui qualicunque actioni, ex infideli, Deique neſcio corde profectæ, nomen dicit virtutis, næ is veræ virtutis naturam altum ignorat. Ad illos nos applicamus, qui gentium virtutes vocant *ſplendida peccata*, ſpeciem quidem virtutis habentes, ſed & ſpeciem tantum. Summo id quidem jure; ſunt enim & quædam, quæ turpia potius quam ſpecioſa dici merebantur: τῇ αὐτοφονίᾳ nomen dant fortitudinis, quæ turpis revera eſt, & pertinaciæ nomen conſtantiæ, quæ admodum culpabilis. Hor. Carm. Lib. III. Od. III.

Juſtum & tenacem propoſiti virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni,
Mente quatit ſolida: neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Jovis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

§. IV. Decentiorem, ſublimioremque docet Chriſtiana Fides Theologiam, & religionem (de vera loquimur Theologia, ex ipſa ſummi Numinis revelatione petita, procul omni hæreticorum corruptione, de cujus ἀξιοπιστίᾳ dixerunt & ſcripſerunt, de Eccleſia optime meriti, viri pii & eruditi, omni exceptione majora) quæ a gentibus recta dicta ſunt, maxime ad mores pertinentia, preſſius urgentem, & quæ perverſa, & removentem, & quæ deficiebant ſupplentem, homini vere deſiderabilem ac ſalutiferam, Deo glorioſam. Videamus breviter, quid docent de Deo, de officiis, de vita beata.

§. V. Unum docent eſſe Deum, ſpiritum æternum, beatiſſimum, ſapientiſſimum, optimum, maximum, adeoque potentiſſimum, at & juſtiſſimum & ſanctiſſimum, boni

boni omnis fontem & ſcaturiginem, mali oſorem, peccati vindicem, creatura omni, infinitis modis excellentiorem, rei nullius indigum, at ex adverſo, ſicut mundi opificem, ſic ſuſtentatorem, rectorem, gubernatorem, ubicunque præſentem, neutiquam tamen ſibi mundum tanquam corpus adaptantem, nec per mundi partes ut animam quandam diffuſum, quæ hinc divinæ forent dicendæ, nec quidem terminis rerum creatarum incluſum, aut & creabilium, ſed omni modo infinitum. Quatenus porro mundi opifex eſt, & gubernator, independentem illum quidem credimus (qua voce uti Theologiæ licet) ſimul tamen benignum, prout nihil temere vel inconſiderate ſed omnia ſummo & divino cum conſilio, ita injuſte nihil agentem: Verbo, omnibus & rebus & perſonis ſuperiorem. Unum porro quod natura docere poteſt, ſed & per mirabilem, imperſcrutabilem homini; ſed divinitus revelatam ἐμπεριχώρησιν, trinum, procul tamen unitatem, & ſimplicitatem deſtructura, eſſentiarum multiplicatione.

Hunc Deum ſolum, cultu pio, ſincero, & ex integro corde profecto, amoris pleno & reverentiæ colendum, etiam

humano omni, & civili cultu longe majori: nullo ipſi adjungendo ſocio, quippe qui ſolus cum ſit magnificus nomine ſuo יהוה ſuper omnem terram, Deum præter ſe agnoſcit neminem: adorandum igitur & precibus quærendum, in omnibus, tanquam potentiſſimum & benigniſſimum, Legiſlatorem ſummum, corporis & ſpiritus, & quicquid tenet univerſitas Dominum. Ecquid de natura Divina, quam agnoſcunt omnes debere eſſe optimam & perfectiſſimam dici poteſt aptius aut decentius? Ecquid æquius, aut ſanctius tradere poteſt ulla religio? Hunc puto ſi cognoviſſent, ineptiis ſuis dudum valedixiſſent Stoïci, nec eo turpitudinis & impietatis prolapſi fuiſſent, ut preces & vota ſupplicum, Deum venerantium damnarent.

§. VI. Officia dein proximo præſtanda, hæcce docet eadem Chriſtiana religio: Amandum eſſe proximum ſicut te ipſum, ſincero corde, amore non fucato ſed veraci, quin imo diligendos eſſe inimicos, & benedicendum maledicis. Perverſo licet enim conatu, & improbis auſis, legem ſanctiſſimam abolendi anſam, ex doctrina de gratia Euangelii

angelii, arripuerint varii Antinomi; non eſt tamen Lex Dei, præcepta ſanctiſſima & æquiſſima continens unquam abrogata: non abolevit Legem Dominus Ieſus, ſed implevit, & in integrum reſtituit; Et ipſius Magiſtri ſui ſancta veſtigia ſequuti pii Apoſtoli, Legis ſanctitatem, & æternum obligantem vim, fortiter urſerunt. Sed ea res nunc non agitur. Id quæritur an non ſuperet Stoïcorum placita, hocce mandatum de diligendo proximo? diximus quidem huic paria docere Stoïcos, ſed ipſam ſimul damnare miſericordiam. Quis hic amor proximi eſt? Miſericordiam noſter Legiſlator exigit præ ſacrificio, omnique externo cultus apparatu.

§. VII. Pedem ſed proferamus; cumque Stoïcis noſtris quæſtionem ultimo inſtituamus, de vita beata & ſummo bono εὐθυμίᾳ, ſeu animi tranquillitate. Si quæ alibi, heic profecto maxima apparet Theologiæ Chriſtianæ & religionis, præ omni gentium etiam Stoïcorum præcellentia. Præterquam enim, quod fortunam Stoïcorum hujus vitæ breviſſimæ ſpatio terminari viſum ſit, de futura conditione admodum cum fuerint incerti; tranquillæ & beatæ vitæ etiam hiſce in

Digitized by Google

terris conſequendæ, quænam habuerunt Stoïci adminicula? quænam media? Virtutem audivimus ſummum eſſe bonum Stoïcis, eam nulla re indigentem, ſibimet ipſi ſufficere, ſeu homini ad beate vivendum. Sed virtutem ſapientiſſimos Stoïcorum & optimos, perfectam non poſſediſſe etiam audivimus: veram, neminem oſtendimus; Addamus adhucdum quid de bonis corporis & fortunæ habendum velint. Verbo, indifferentia dicunt, re in malorum, aut bonorum cenſum referunt caſus fortunæ proſperos vel adverſos, qui enim uti ἀυτοφόνος, effugit mundum, judicat malum eſſe mundum. Confitentem habebimus Senecam aliquo non tantum in pretio divitias & reliqua fortunæ bona eſſe habenda, ſed & caſus adverſos, quodammodo malos.

Quare tamen Deus tam iniquus in diſtributione fati fuit, ut bonis viris paupertatem, vulnera, & acerba funera adſcriberet: Non poteſt artifex mutare materiam: hæc paſſa eſt. Quædam ſeparari a quibuſdam non poſſunt, cohærent, individua ſunt. Sen. de prov. c. v. Non eſt hoc nodum ſolvere ſed ſecare. Unde colligere eſt, cum externa illa incommoda perſæpe viri boni

Digitized by Google

boni virtutem ſupprimant, nec hanc illi exercere permittant, propter nimiam violentiam, & veram virtutem ſemper colere ſic ſatis fuerit ipſis impoſſibile, nec poſt hanc vitam beatiorem ſperaſſe Stoïci videantur vitam, quam non beata & tranquilla dici mereatur, illa ſic dicta beata vita, virtutem colens, tanquam non colens, ſummumque bonum poſſidens, tanquam non poſſidens. Contrario, optimam acquirendæ veræ felicitatis, inque præſenti ſeculo animæ, pacis & tranquillitatis, quam neque turbet futurorum metus, neque præſentium ſupra modum ſolicitet tædium & incommodum, monſtrat viam Chriſtiana Theologia. Summum heic bonum Deus ipſe eſt, ejuſque poſſeſſio hominis beatitas. Hic boni omnis fons & origo, adimplet hominis pia & ſancta deſideria, removet omnia corporis incommoda, at per gradus, poſt hanc vitam omnia, beatum redditurus, cum pura & ſancta anima vitiorum omnium tum experte, ad nominis ſui gloriam celebrandam, ſplendidum corpus. Hæcce intuentes, fideli ad Dominum ſuum ſalutis autorem confugio tuti, in fideles & fallere neſcias ipſius promiſſiones ſecure recumben-

tes. Chriſtiani fortiter per virtutis viam poſſunt incedere, anima ſolido ſuæ cum Deo reconciliationis fundamento mediis in adverſis tranquilla & pacifica. *Juſtificati per fidem pacem habent cum Deo per Dominum ſuum Ieſum Chriſtum*, & cum conſcientia: cor enim ſi ipſos condemnet, Deus major eſt corde ipſorum, qui contra malam conſcientiam remedia ſuppeditat, ut redeant ad quietem ſuam. Hinc quæ vere incommoda vitæ ſunt, non habent non talia, ſed ſpe futuræ olim beatæ liberationis, animum retinent tranquillum & inconcuſſum, vel ſi vacillet, magni Servatoris ſui gratia fulciunt, confidentes; terrena hæc omnia brevi tranſitura, atque operaturam momentaneam afflictionem, æternam gloriam. Non dicunt Deum hæc curare nolle vel non poſſe; nec etiam virum bonum non lædere; ſed benigni Patris ſui voluntatem ita ferre, ut diſcant faciem ipſius quærere, auxilium implorare, majeſtatem & imperium agnoſcere, & colere virtutem, dum tamen ea ipſa utut ad tempus dura & moleſta, cedere tandem debeant ipſis lucro. Indiget enim filius caſtigatione paterna, ut virtuti diſcat dare operam. Quæ etiam ipſa res ſolatium adfert: reddente Deo i-

pſos

Digitized by Google

pſos de amore ſuo certiores, nam quos amat, caſtigat, ſed quos caſtigat, ſervare vult. Non obliviſcitur Pater filii ſui, ita nec Dominus Deus ſuorum, montibus & collibus immobilius quovis modo ſuum gratiæ fædus confirmat. Tali tam firmo qui niti poſſit fundamento, quod jacit Chriſtiana Theologia, quin ad veram animæ tranquillitatem, beatam vitam, & ſalutarem ſummi boni poſſeſſionem, optime pervenire poſſit cuiquam poteſt eſſe dubium? Hunc, futura & æterna magis quam præſentia hujus ævi ſpectantem, & curantem, adverſus mundi machinas, Satanæ aſtus, vitæ incommoda, gratia Dei munitum, gaudium poſſidere poſſe ἀναφαίρετον, quiſquam negare poteſt? ſolidæque proin conſolationis acquirendæ, aliam atque hanc ipſam, viam dari non poſſe? Horum vero omnium neſcii, de quibus diximns Stoïci, dum ambulare ſivit ipſos cum ſociis ſuis, tempore ignorantiæ per vias tenebrarum, magnus mundi opifex, qui ipſis non innotuit, a vera virtute, ſummo bono & tranquilla animæ pace deviarunt.

§. VIII. Res breviter ita perſtrinximus, & criſi de Stoïcorum Theologia, com-

compendium faciemus, hiſce applicantes, quod cæteris pariter gentium Philoſophis, magnus Calvinus: „ Equidem non „ inficior, ait, ſparſim quædam apud Phi- „ loſophos de Deo legi ſcite & appoſite „ dicta, ſed quæ vertiginoſam quandam „ imaginationem ſemper reſipiant. Præ- „ buit quidem illis Dominus exiguum „ Divinitatis ſuæ guſtum, ne ignoran- „ tiam impietati obtenderent, & eos „ interdum ad dicenda nonnulla impu- „ lit, quorum confeſſione ipſi convince- „ rentur. Sed ita viderunt, quæ vide- „ bant, ut tali intuitu minime ad veri- „ tatem dirigerentur, nedum pertinge- „ rent, qualiter nocturni fulgetri coru- „ ſcationem, qui in medio agro eſt via- „ tor, longe lateque ad momentum vi- „ det. ſed adeo evanido adſpectu, ut „ ante noctis caligine reſorbeatur, quam „ pedem promovere queat.

§. IX. Tanta igitur magni Creatoris noſtri, in nos, qui ultima vivimus tempora, nomenque gerimus Chriſtianum, cum ſit benignitas, ut divinæ ſuæ revelationis lucem lucere faciat, quæ ad veram animæ tranquillitatem, ad æternam beatitudinem, ad ſummi boni poſſeſſionem, viam

Digitized by Google

viam apertam monſtrat: quanta illorum ingratitudo & ſocordia cenſenda eſt, qui hæcce nihil curant prorſus, Deum, ſe ipſos, ſuam æternam ſalutem ſecure negligentes! Cæcutiunt eheu! qui reſupini, cœleſtis & ſalutiferæ veritatis lumen, undequaque in verbo Dei fulgens, non contuentur. Ethnicorum utinam vigiles curæ, ſtudium & labor improbus, in indaganda veritate, tot imperitorum, & oſcitantium, & reluctantium, nomine ſed & nomine tantum Chriſtianorum, ſocordiam & tarditatem non dudum condemnaſſent!

At Tu Cœleſtis Pater luminum, qui inhabitas æternitatem, & lucem inacceſſam, ſed reſpexiſti populum tuum habitantem ſub cœlo tuo, Eccleſiæ tuæ providam gerito curam. Relabi populum tuum ad infidelis gentiliſmi imaginationes perverſas neutiquam ſinito: ſed verbum tuum ſit lumen & lucerna ſemitæ & pedibus noſtris; ut caliginoſæ ignorantiæ & impietatis tenebræ pellantur. Sancte Pater ſanctifica nos in veritate tua, verbum tuum veritas eſt. Palantes ad magnum ovium Paſtorem, tandem reduc: nomina Idolorum de terra pe-

penitus dele! ut cognoſcant mundi nationes, Te ſolum eſſe Jehova, nec eſſe præter Te Servatorem alium.

Tibi, qui Dominus noſter, qui Legiſlator, qui Servator, Triune Deus, Pater, Fili, Sancte Spiritus, ſoli, ſola ſit Laus, & gloria, in ſæcula. Amen.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA